

VII, 74.

1.-4. / 2, 872  
5. 2. 6. / 2, 665<sup>b</sup>.



2

656





# Contenta.

1. Expositio von Johann Ambrosio so im  
fürstlichen Buchhalt nachgesehen  
und von ihm selbst so für andere der  
christlichen Literatur in offener  
Hand nachgedruckt haben.
2. Lehrer Schriftsteller von Adel und  
Herrn, an H. Joh. Georgen fürstlich  
zu Buchhalt, samt demselben  
gehörigen Vorwortung in  
Zugabe 1596.
3. Lehrer selbst, Zugabe 1597.
4. Wohlverdienter Buchhalt nach ihm  
fürstlichen Buchhalt nachgesehen  
sachliche Expositio, in welchem die  
gehörigen Handlung mit Abweisung  
der Bilder Altären und anderer  
Ceremonien angedeutet  
gestellt durch die theologische  
Forschung zu Wittenberg.

verte

5. Manifestum Ascaniense s. brevis et  
summaria relatio quomodo Principes  
Anhaltini possessione antiquissimi  
et per majores suos in novum  
iam seculum traducti feudis  
regalis, Comitatus nimirum Asca-  
nic ab Episcopis et Capitulo Halber-  
stadiensi per vim destituti et quomo-  
do adversus destitutionem et spoli-  
um istud non modo iterata aliquot man-  
data inhibitoria sed etiam sole-  
ne laudum latum etc.

6. Vindicice Anhaltinae seu Principum  
Anhaltinorum Jura liquidissima  
in et circa Comitatum Ascanie re-  
presentata in manifesto Ascani-  
ensi et access. solennes Protestatio-  
nes pro conservandis eorum iuribus



5.  
MANIFESTUM ASCA-  
NIENSE,

Sen

BREVIS & SUMMARIA  
RELATIO.

QUOMODO ILLUSTRISSIMI PRIN-  
cipes *Anhaltini* possessione antiquissimi, & per  
Majores suos in nonum jam seculum trada-  
cti Feudi sui Regalis, Comitatus nimirum  
ASCANIÆ, ab Episcopis & Capitulo *Halbersta-*  
*densi* per vim destituti, & quomodo adversus de-  
stitutionem & spolium istud non modò iterata ali-  
quot mandata inhibitoria, revocatoria & restituto-  
ria, verùm etiam in processu Compromissario so-  
lenne *laudum*; sive sententia restitutoria lata, eadem-  
que ab Imperatore tum temporis *Ludovico Bavaro &c.*  
gloriosissimæ recordationis confirmata, nec non  
executoriales desuper decretæ: Ex quo tempore  
caussa hæc in Imperio famosissima in terminis puræ  
& meræ executionis in hunc usque  
diem versatur.

*Exhibebatur Casareis, Regiis, Electoralibus, Principum & cæteror-  
um ordinum Plenipotentiaris, Legatis & Deputatis,  
universalis pacis causa congregatis in  
Westphalia.*

A N N O

M. DC. XLVI.



2  
MANIFESTUM ASCA-  
NIENSE.



Nter feuda Imperij aliaq; regalia, quæ ab Imperio Romano recognoscunt Illustrissimi & Celsissimi Principes Anhaltini, Comites Ascania, Domini Servestæ & Bernburgi &c. est etiam jam inde usq; à Caroli Magni temporibus vexillare feudum Ascania, sive Uscherleben/ ad quod ab ipsis primordis in hæc usq; tempora multæ urbes, vici, arces, pagi, & in primis civitas Uscherleben/ aliaq; illustria Comitum & nobilia feuda pertinuerunt. quod feudum vexillare cum juri- bus, regalibus & privilegiis compluribus Principes Anhaltini per longissimam & in hunc usq; diem per aliquot secula con- tinuatam imperialium investiturarum seriem ab Imperio Ro- mano etiamnum recognoscunt & accipiunt. Nec sicco pe- de prætereundum, quod etiam centenis aliquot, ante Caroli Magni tempora, annis, cum sua CHRISTO nomina provin- ciæ hæc nondum dedissent, & habitari primum cœpissent, Principum Anhaltinorum Maiores & incluta Ursinorum vel Beringerorum Familia arcem urbemq; Ascaniam, vernaculo idi- omate Uscherleben/ & circumfusas terras, tanquam feudum, ut loquuntur, Solis, hoc est, jure suo proprio & hereditario, ceu pura allodia, possederint, titulis Dominorum Harcynia, Ballenstas- dii & Ascania usi, qui à Saxonum Regibus a.

(a. Mos hic loquendi vulgaris est apud Historicos & Politicos, quo etiam Manifestum utitur. Alioquin verius est Saxones nullos Reges habuisse, nec in statu Monarchico vixisse unquam ante Carolum Ducem suos habebant belli tempore, & quidem cum summo imperio & regia potestate: quemadmodum Romani suos Dictatores, qui, finito bello & armis depositis, officium quoq; deponebant. Talis Dux erat Berthobal-  
dus

du I. Victor Hermefridi Thuringii, auxiliarium copiarum in  
Theodorici Franci supremus Praefectus.)

Contra Hermefridum Thuringiae Regem, nec non alios externos  
Reges cum validis copiis missi, cum iisdem aliquot aciebus ac  
praeliis decreverunt: quin imò illud etiam obtinuerunt, ut Fa-  
miliae istius nonnulli ab Imperatoribus Romanis, Theodosio &  
Constante, Caesareorū Vicariorum dignitatibus fuerint ma-  
gi. Ingentis & ultimi praelii quo cum Saxonibus ad fluvium Hase  
Carolus Magnus dimicavit, cum cognato suo Witekindo b.

(b Cognationi fundamentum ostendit antiquitas etiam in Frisiorum  
Familia. Ex hac enim tam Witekindi, quam Aribonis Beringeri  
Maiores & Agnati uxores sibi aliquoties petierunt. Inprimis cele-  
bratur Edelhard Witekindi Patruus, Gener Radbodi Frisi. Huius filia  
Hilla, seu Helena, nupsit Ariboni Beringeri Proavo. Erat, ut hoc  
obiter addamus, Radbodus iste insignis ac pertinacissimi ingenii idolola-  
tra Auditus aliquot VVolfraami Episcopi concionibus, adducebatur tan-  
dem, ut A. C. 694. in filii Ingramii baptismum consentiret. Ipse quoque  
alterum pedem lavacro intulerat, cum ex Episcopo sciscitaretur, quo in  
loco maiores sui constituti essent. Hoc respondente, maximam  
partem degere apud inferos, illico pedem retraxit, cum hoc diceret  
& sibi placere maximae patrie conditionem & hospitium. No-  
men eius gentilitium, Germani etiam alii in locis usurpatum, migra-  
vit quoque ad Beringerorum familiam, impositum Radbodo, Ariboni  
& Hilla secundo genito, ariboni Beringeri Avo Legitur quoque alibi Her-  
mannus, Dominus in Ballensted, Maritus Hildegardis, VVitekindi Amita.  
Aribo autem Beringerus Gener fuit VVernekindi, & VVitekindi Sororius,  
ducta Hasala. Illud controversia caret, penes duas istas familias stetit se-  
culum temporis potissimum robur atque auctoritatem gentis Saxonicae.)

Moderator fuit Ariboni Beringer, qui, victis Saxonibus, cum  
filio Beringero, eiusdem nominis tertio, c.

(c. Quando Beringeri numerantur non secundum totam Familiam,  
sed lineam superstitem Beringerus hic recte vocatur tertius, Alias Quin-  
tus erit, si quis totam familiam consideret.)

Et VVitekindo fuga in Daniam elapsus tandem se Carolo  
Imperatori stitit, ea tamen conditione, ut terras avitas retine-

tranquillas possidere per Imperatorem liceret: in quam  
conditionem ut consentiret *Carolus Henrici* Comitis Henne-  
bergici, qui gratia tum apud Imperatorem pollebat, fecit in-  
tercessio.

*Aribonis* autem *Beringeri* F. eiusdem nominis tertium,  
Christianam tum fidem amplexum è sacro Baptismi fonte le-  
vavit *Carolus Magnus*, d.

(d. *Baptizatus* vulgò scribitur cum aliis Saxonibus in Halberstadiensi  
Ecclesia. Sed verius est, id factum fuisse in Selingsted, postea Osterwig.  
Hic enim A. C. 780. *Carolus M.* Episcopatum instituerat, qui, teste  
*Krantzio*, longè post (numerantur à pleriq; quadraginta anni) Hal-  
berstadtum translatus fuit. Habuit iste *Beringerus* filium cognominem,  
juvenem, florentis ætatis & ferocis spiritus. Hic, reconciliato & ba-  
ptizato Parente, maluit se dubiæ belli aleæ credere, animo à Christia-  
norum sacris planè alieno. Victus autem memorabili prælio & ultra *Al-  
bim* pulsus tandem ex Episcopo *Vicebardone* vera sacra didicit, cum à  
commilitonibus desereretur, & febrî correptus supremum diem exspe-  
ctaret. *Baptizatus* scribitur paulò ante obitum, & locus Baptismi, con-  
dito postea ibidem monasterio celebris, inde nomen suum, die *Beringer-  
Heide* *Beringeri* sylva, sortitus creditur.)

Ac propterea *Caroli* nomen ei indidit, ipsumq; primum  
*Ascania*, *Harcynia*, & *Ballenstedii* Comitem salutavit, arcem  
verò, urbem & circumjacentem provinciam *Ascania* Comi-  
tatum & feudum vexillare S. Romani Imperii renunciavit, eo-  
demq; *Carolus* suū infeudavit. Ex eo tempore Comitatus *Asca-  
nien*sis, aliàs *Ascania* sive *Ascharia* dictus, in 884 jam annum  
jus, nomen & dignitatem Comitatus Imperialis & feudi vexillaris  
sive regii, einer gefürsteten Grafschaft und Reichsfahnenlehens/  
in hunc usq; diem obtinuit: quod, præter documenta investi-  
turarum imperialium & historiarum monumenta, ipsum e-  
tiam *jus Saxonicum* eiusdemq; glossa lib. 3. art. 62. abundè testa-  
tur, ubi Comitatus *Ascania*, die Grafschaft *Aschersleben*/ inter  
septem feuda imperii vexillaria, in *Saxonia* sita, disertè nu-  
meratur.

Principes quoq; *Anhaltini* aulæ suæ sedem *Ascaniam* urbem, die Stadt *Aschersleben* / sæpius delegerunt : quibus etiam dicta urbs *Aschersleben* / itemq; municipia *Wegeleben* / *Kroppenstädt* / *Rochstädt* / nec non cœnobîa & cœnobiorum villæ, quotquot in urbe & toto Comitatu reperiuntur, tanquam *Comitibus Ascania* foundationes & privilegia sua debent, prout in primis Curia & tribunali Civitatis *Aschersleben* id prærogativæ & privilegii à Principibus *Anhaltinis* obtigit, ut aliis dicti Comitatus civitatibus jus dixerit.

Aliquot illustria insuper Comitum & nobilia feuda, atq; inter ea in primis Comitatus *Hadmerslebiensis* & *Kroppensladensis* suam à Comitatu *Ascania* habent dependentiam, utpote à Principibus *Anhaltinis* & Comitibus *Ascania*, tanquam Dominis directis, aliis Comitibus & Vasallis feudi jure collata, ab iisdemque recognita.

Nec obliterandum, quòd insignia etiam *Anhaltina* cum *Ascaniensibus* in hunc usque diem in civitatibus *Aschersleben* & *Wegeleben* portis, curiis, templis, teloniis & vexillis publicis publicè conspiciantur, & Principes *Anhaltini* Comitum *Ascania* insignibus etiam numutantur, Comites *Ascania* intra & extra imperium audiant & salutentur, atque ab Imperatoribus *Romanis* ut Comites *Ascania* investiantur, prout hæc omnia, præter veterum historiarum & investiturarum imperialium monumenta, vocemq; & famam communem, ipsius ocularis inspectionis evidentia abundè testatur.

Anno circiter 1283, Principum *Anhaltinorum* Principatus, Comitatus & Dynastiæ inter Illustrissimæ Familiæ Capitula ita fuere distributæ, ut principi *Ottoni* e.

(e. Vixerunt itaq; Fratres, *Bernhardus* I. *Sigfridus* & *Otto*, aliquandiu in communione post Parentis *Henrici* obitum, qui juxta veterem computationem in annum 1266. vel etiam 1267. incidit. Certè scribit quidam e recentioribus se vidisse literas, quod adhuc anno 1267. cum *Mechtilde* uxore sua in castro *Anhalt* vixerit. *Otto* natu minimus erat, cui præ-

enā portio obvenisse dicitur, quia, ob dignitatem & castra nobilia, præcipua habebatur. Superstites tum erant & alii fratres, Hermannus & Henricus: Ille Halberstadiensium Præpositus, hic primum Canonicus Magdeburgensis & Halberstadiensis, tandem Magdeburgensium Archiepiscopus. Horum, juxta jura perspicua, in divisione secularium nulla ratio habita fuit. Id quod & Hermanno & Henrico Clericis, Sigefridi Filii, Alberti I. Fratris accidit. Solus Albertus, Bernhardi I. Fr. Bernhardi II. Fr. à Clero suo excitatus rei ad se non pertinenti vel hoc modo se immiscere voluit: sed juribus & exemplis Familiarum illustrium repugnantibus. Neq; hoc tantum; quin & totum Comitatum Familie subtrahendum, & clero mancipandum rectius & saluti anime consultius putare debuit.)

Pro prima parte cesserit *Harcynia*, cum *Voigteia Gerenroda*, totusq; Comitatus *Ascaniensis* cum civitate *Usherleben*/omnibusque aliis pertinentiis, prout in literis investituræ, aliisque documentis specificantur, usque ad *Frevelum*, id est, locum iustitiæ prope *Halberstad*, f.

(f. Qui locus in confinis ut plurimum insignitur suppliciorum publicorum iudiciis, veluti rotis, patibulis &c. Magisq; est, quod vocabulum *Frevel* ad publicorum criminum cœercitionem & ad supremam jurisdictionem pertineat. Interdum tamen multam quoq; modicam comprehendit: quæ dicitur *Vvehnerus*, *Besoldus* & *Speidellus* in libro prædicto consuli possunt.)

Pro secunda parte Principi *Bernhardo*, *Ottonis* Fr. Dynastia *Bernburgensis* cum pertinentibus dominiis & juribus obtinuerit: pro tertia verò parte *Sigefridus*, Principis *Ottonis* Fr. à quo *Servestana* & *Dessaensis* lineæ descendunt, eodemq; defuncto, eius filius *Albertus* I. Dynastiam *Servestanam*, *Dessaensem* & *Cotboniensem* retinuerit. Ita tamen, ut inter dividentes non solum tituli & insignia, verum etiam jus avitum simultaneæ investituræ, juraque successionis manserint communia.

Anno 1315. Principis *Ottonis Senioris* Filio g.

(g. Non est dissimulandus lapsus Manifesti hoc in loco. Habuit quidem *Otto* filium cognominem; sed Canonicum *Magdeburgensem* & Archidiaconum

num in *VVildensee*, quod postea *VValdersee* dicebatur. Ille autē ante *P*atrem  
rentem *A. C.* 1305. obiit. Senior itaq; *Otto* erat, qui *A. C.* 1315. diem suum  
supremum habuit. Anno *Christi* 1316. natura debitum persolvit *Alber-*  
*tus I.* *Sigefridi* monasterium ingressi *Filius*. Anno *Christi* 1318. huma-  
nis exentus fuit *Bernhardus II.* tum temporis Senior dictus, unde fa-  
ctum, quod *lis* exort a illum solum. eiusq; filium *Bernhardum III.* exero-  
cuit, *Alberti I.* *Filius*, *alberto II.* & *VVoldemaro*, adhuc sub tutela vi-  
ventibus.

Fatis sine masculino herede functo, *Comitatus Ascaniensis*  
cum omnibus suis pertinentiis ad *Principem Bernhardum II.*  
cuius aulae sedes inclutum tum *Bernburgum* erat, tanquam  
feudi communis & totius *Familiae* concessi *Curatorem*, proxi-  
mumq; *Agnatum* jure hereditario devolutus est, qui etiam  
omnes ab *Ottone* relictas *Dynastias* cum civitate *Usher leben*  
occupavit, easdemque in feudum ab *Imperatore* tum tempo-  
ris *LUDOVICO* recognovit & accepit, simultaneam investi-  
turam apud eundem *Imperatorem Alberto II.* & *VVoldemaro*,  
*Principibus Anhaltinis*, qui *Servestam* & *Dessaviam* tum tene-  
bant, legitime renovantibus, à quibus *Illustrissimi Principes*  
*Anhaltini*, quos modò superstites habet *Imperium*, sanguinem  
& familiam ducunt. Quia verò, defuncto *Ottone*, eiusdem  
vidua h.

(b. *Elisabetha* vocabatur: alius *Anhaltina*: alius *Orlamündensis*. Verùm  
haec appellatio conjugijus, non originem spectat, quae hactenus  
latuit.)

*Arcem* aliq; bona *Ascaniensia* dotalitii iure tum tem-  
poris tenebat *Princeps Bernhardus* suo quidem iure illam frui  
facile passus est; Nihilominus tamen civitas *Usher leben* sive  
*Ascania*, ut & pertinentes ad *Comitatū Ascaniensem* *Comites*, *Dy-*  
*nastae* & *Vasalli* principi *Bernhardo* homagia & fidelitatis iura-  
menta praestiterunt, ab eodemque *Comitatus*, *dynastias* & feu-  
da sua recognoverunt.

Ea tempestate cum princeps quidam *Anhaltinus*, *Albertus*  
*Bern*

Bernhardi II. Principis Fr. consentientibus Capitularium sub-  
fragiis, Episcopus Halberstadensis electus jam esset, jus quod-  
dam in Comitatum Ascania pretendere exinde Halberstadens-  
es primum coeperunt, i.

(i. Sed male. Non jure successionis: ab hac enim Albertus jam ante ex-  
clusus fuerat. Nec jure feudi: quia hoc ad Imperium spectabat. Multo  
minus vi donationis cujusdam: quia hac non facta fuit, nec de jure  
fieripotuit.)

Cumq; actu & ope dictæ viduæ Ottonis frustra moliti multa es-  
sent, vi tandem arcem & civitatem Ascherslebenensem inva-  
serunt, quæ dissidij inter Bernhardum Principem & Fratrem  
Episcopum varij causa exstitit. Equidem litem hanc amica  
transactione Episcopus Albertus, Anno 1316, Quedlinburgi  
componere, remq; eò perducere laboravit, ut arcem & civita-  
tem Aschersleben à Capitulo Halberstadensi feudi jure recognos-  
ceret Bernardus, idq; datis & acceptis investituræ literis,  
utrinq; firmaretur K. Verum Bernardus in præ-

(k. En Halberstadiensis Cleri insidias! Ut servet integrum Comitatum,  
& vexillare feudum Imperii, sibi aliàs & citra ullam exceptionem  
competens, Bernardus II. ecce invitatur à Clericis, Fratrem Germano  
Proxenetæ, ad fidem feudalem hoc nomine Ecclesiæ quoq; Halberstadi-  
ensi dandam. Nec forte an, ut illi putabant, sine specie recti & magni  
lucri. Nam præter Alberti pretextum ostentavit aliquando Clerus Henrici  
Primi Principis Anhaltini literas, Quedlinburgi A. C. 1262. in crastino  
S. Andr. apostoli (hæc erat istius temporis latinitas) datas, quibus  
dicebatur promississe septingentas & quinquaginta marcas puras pro ci-  
vitate Ascharum, cum Ecclesiâ Parochiali & officio Sculteti, & advoc-  
catia ipsius civitatis &c. Deinde exhibuit aliàs eiusdem Principis 10.  
Cal. Martii 263. datas, quibus dicebatur pro civitate Ascania & aliis  
bonis attinentibus castrum & oppidum Weaeleben cum aliis & tali-  
bus & tantis bonis, (ita verba sonant) Ecclesiæ cessisse &c. Sciendum  
autem est, quòd Ascania civitas in genere dicta semper distincta loca  
habuerit: 1. oppidum vetus; 2. oppidum ultra lapides; 3. oppidum ul-  
tra aquam; 4. novum oppidum.

Jam

Jam videamus, num clerus iste bona fide egerit. Et primò quidem nunquam exhibuit literas authenticas & integras, sed descriptas, mutilas & mancas, suppressa reliqua membrana parte, adeoq; literas nullius fidei. Nec exstat ullibi, imprimis sub litu exordium, de his conventionibus vel vola vel vestigium. Quin potius in comperto est, quòd Henricus Princeps eo ipso anno 1262, ante literarum tempus, civibus suis Ascaniensibus leges successorias tulit. Notum insuper est, castrum & oppidum Wegeleben, demum post Principis Henrici fata, sub Filio ejus Ottone pignoris nomine ad Ecclesiam Halberstadiensem pervenisse. Idem oblatum fuerat, ante hanc pignori nexum, ab illo ipso Ottone Magdeburgensi Ecclesie hac lege, ut directum dominium penes sedem Archiepiscopalem maneret, utili dominio Familie Anhaltinae per feudi collationem reddito. Deinde licet qui ponere velit, vera esse quae clerus e fragmentis istis incertis & vacillantibus attulit, tamen ne sic quidem cum Bernhardo II bona fide actum fuit. Nam literae istae primò solius emtionis, postea per mutationis alicuius mentionem faciunt. Atq; ita salva fuissent nihilominus res Anhaltinae, citra omne feudi onus. Quo iure itaq; feudi vinculum Bernhardo intentari & injici potuit? Et rursum: Quo iure, aut saltem colore iuris, potuit Clerus pro mani aliqua particula, h. e. pro exigua nondum quarta parte civitatis tum civitatem totam, tum arcem quoq; & mox integram Comitatum, ad se pertrahere, & matricula impeq; ali subductum suo albo feudali inserere? Sit, inquam, ita, (ponimur hoc, non concedimus.) quòd clerus in vetus oppidum Ascaniae, in Ecclesiam Parochialem, officium Sculteti & advocatiam civitatis aliquo juris revera allegare quiverit. Fuit ne haec protinus iusta causa, ut unus oppidi intuitu (in quod ipsum Anhaltina quoq; Familia sua iura habebat) reliqua bona omnia totius Comitatus involaret? Ecce iterum istorum hominum candorem & continentiam!

Judicium vexillaris imperii feudi, nec non in fraudem et praesudicium Agnatorum suorum, ab Imperio Romano simultaneè investitorum, in eiusmodi Capitularem feudi recognitionem, consentire nec potuit, nec voluit, cum ex jure et fundamentali Imperii lege investitura & collatio feudorum imperii vexillarium, der Sahnen leben/ toli Imperatori vel Regi Romanorum specialiter sit reservata. Verum anno 1318, investituram ab Im-

C

perato



peratore LUDOVICO, quemadmodum eandem Otto defun-  
ctus antè obtinuerat, recognovit et accepit: unde inter Fratres  
dissidiū recrudit, quod etiam in bellum tandem erupit. Sed  
cum illo ipso anno Princeps Bernhardus decessisset, heredem  
omnium suarum dynastiarum et bonorum reliquit filium  
*Bernhardum eius nominis tertium*, qui *Spoliati* cognomen apud  
Historicos invenit. Anno postmodum 1322, die Lunæ à Pente-  
costali hebdomade proximo sæpius dicta *Ottonis Vidua, Elisabeth*,  
per secunda vota Comiti *Friderico ab Orlamunds* nupta,  
cum dotalitio suo valedixisset, *Ascanienses* ad Episcopum et  
Capitulum *Halberstadense* remisit, prorsus nulliter, contra o-  
mnem æquitatem, rationem et jura scripta, in primis contra  
textum expressum in l. 20. C. de legat, quæ in terminis termi-  
nantibus ita pronunciat:

*Uxor patris tui, si testata decesserit, res tuas tantum usum fructum  
earum habens legare non potuit.*

Anno 1323. Princeps *Bernhardus Tertius* apud Imperatorem  
LUDOVICUM de hoc spolio graviter conquestus Cæsareæ ipse  
tis Maiestati humilimè exposuit, quòd *Principes Anhaltini Co-*  
*mitatum Ascania* cum omnibus suis pertinentiis per aliquot  
seculorum decursum ab *Imperio Romano* in feudum recogno-  
verint, quodq; eundem à Majoribus suis jam inde ab ipsis pri-  
mordiis, cum primùm hæ terræ habitari cœperunt, heredita-  
rio jure in se transmissum ab *Imperatoribus Romanis* continua  
et nunquam interrupta serie in *feudum imperii vexillare* acce-  
perint. Causæ justitiam et evidentiam cum intellexisset Im-  
perator, Principi *Bernhardo Norinbergæ* non solum patrimo-  
nium spolio extortum rursus addixit, ac de bonis spoliatis ac  
toto *Comitatu Ascaniensi* ipsam investivit, verum etiam *Ascani-*  
*enses* ab Episcopatu *Halberstadensi* edicto retraxit, omnesq;  
præterea Comites, Dynastas, Nobiles et Equites, tum tempo-  
ris Illustrissimæ *Domus Anhaltinæ* Vasallos ad Principem *Berno-*  
*hardum Spoliatum* denuò remisit, cum severissima hac prohibi-  
tione

tionē, ne à quoquam alio, quàm à Principe *Bernhardo*, depen-  
deant, investituras suas ab ipso solo recognoscant et accipiant,  
ipsiq; soli debita subjectionis et fidelitatis homagia et jura-  
menta præstent, cum aliis multis prægnantibus et salutaribus  
clausulis, & supplementatione omnium defectuum, tam juris, quàm  
facti. Huic Cæsareo mandato obsecuti Comites & Dynastæ  
multi *Bernhardo* Principi subinde se stiterunt, ab eoq; feuda  
sua diversis locis acceperunt. Quia & ipse Episcopus *Halber-  
stadensis Albertus, Bernhardi Principis Patruus*, pluribus investi-  
turarum actibus absq; ulla contradictione præsens interfuit.  
In primis autem cum Nobilis Dynasta ab *Hadmersleben* à Prin-  
cipe *Bernhardo* Comitatum *Kroppenstetensem* in feudum acce-  
pisset, quem Comitatum tamen Episcopus *Halberstadensis* etiam  
invasit, & Principibus *Anhaltinis* per vim atq; injuriam ereptum  
adhuc detinet.

Defuncto postmodum *Alberto Episcopo*, cum *Capitulum  
Halberstadense* bona jam antè spoliata & restituta denuò occu-  
passet, & Episcopum sibi *Albertum, Ducem Brunsvicensem &  
Lunenburgensem* l. tanquam po-

(l. Filius erat Ducis *Alberti Pinguis*, Atnepos *Henrici Leonis, Bern-  
hardo III.* quarto cognationu gradu, affinitate quoq; conjunctus. Ni-  
hilominus videtur in hoc memoria irarum revixisse, qua diuturno &  
funesto bello inter tres *Henricos* ex una, & *Ottonem Divitem, Alber-  
tum Ursam & Bernhardum*, omnes *Ascanios*, ex altera parte ansam  
præbuerant. Sunt inter Historicos, qui Episcopum istum suspectæ ma-  
gestionis insimulant, quod nos in medio relinquimus. De hoc utiq;  
constat, quod potiori parte *Canonicorum* in *Ludovicum de Neindorf*  
propendente quinq; *Canonicorum* suffragiū adjutus Episcopatum obti-  
nerit. Ex *Monacho* quodam *Halberstadiensi*, quivsq; ad annum  
1349. scripsit, sequentia de prominus: Nec est, inquit, silentio  
transeundum, quod idem Pontifex *Dominus Albertus* viginti vicibus  
& ultra, ut creditur solennes expeditiones tempore sui regiminis  
fecit, innumerabili & copiosa multitudine equitum & peditum in  
armorum necessariis expeditorum, publice expansis tentoriis, vexillis

erectis, variis & diversis bellicis instrumentis preparatis, castra inimicorum suorum circumvallavit, terras ipsorum incendiis depraedationibusque potenter devastando )

rentiorem elegisset, ad repetitas in aula Caesarea querelas Principis *Bernhardi Spoliati* non modò superius memorata mandata inhibitoria, revocatoria & restitutoria contra *Episcopum Halberstadensem* & oppidum *Aschersleben* ex aula Imperatoria denuò emanarunt, verum etiam aliquoties repetita sunt; quibus tamen omnibus, tantum abest, ut paritum ab *Episcopo & Capitulo Halberstadenſi* fuerit, ut partes etiam ad diffidationem denuò processerint, quæ tamen paulò post sopita est, ita nimirum, ut causam per viam compromissi terminare inter partes convenerit, in quo processu compromissario per *Ottonem* Archiepiscopum olim *Magdeburgensem*, tanquam electum à partibus iudicem compromissarium m. laudum sive sententia restitu-

(m. Otto hic Landgravius *Hassie* & Frater erat *Henrici Ferrei*, ex *Filia Sophia* Abnepos *Ludovici* & *S. Elisabethæ*, quæ *Marpurgi A.C. 1231.* obiit. Eligebatur autè mutuo consensu supremus Arbitrator, Obmann habebatque Adjunctos ex parte Ecclesie *Jacobum Schnellhart*, vel *Schneltrabt*, Decanum, hominem sagacissimum, & *Volradum de Hesse*, hodie *Hessen*: ex parte *Bernhardi Rudolphum* Ducem *Saxoniæ*, & *Albertum II.* *Anhaltinum* Principem. *Arnoldo de Stammer* injunctum erat, ut acta à partibus exhibita ad Archiepiscopum bona fide deferret.)

toria pro principe *Bernhardo Spoliato* lata est, in qua pronuntiatum, quòd *Episcopus & Capitulum Halberstadense* illum per injuriam spoliaverint, ac proinde cum omni causa restituere teneantur. Sententiam illam restitutoriam, sive, ut vocatur, *laudum Ottonicum*, Imperator *Ludovicus* non modò confirmavit, verum etiam postmodum anno 1340 executorialibus *Caesareis* roboravit, misso videlicet in *Anhaltinatus* & *Comitatum Ascanie* Executore *Caesareo Ulrico de Bebenburg*, Vafallo Imperii, cum mandato & plenipotencia *Caesarea*, ut Principem *Bernhardum* in omnia illa bona, de quibus *Caesarea Majestas* ipsum

12  
ipsum investivit, & quæ ad ipsius principatum & feuda regalia  
pertinent, plenè restitueret, non se eius, ac si Cæsarea sua Ma-  
jestas ipsamet præsens esset, ac secundum tenorem sententiæ  
ab *Archiepiscopo Magdeburgensi* pronunciatae. Atq; hæc omnia  
quidem sub illa clausula, quòd si quis forte ean dictum *Executorem*  
*Imperatorium* in commissa sibi executione impedire conetur, is sciat,  
se tanquam refractarium Cæsareæ Maiestatis & Imperii condie-  
gram animadversionem & indignationem Cæsaream incursum,  
de dato *Franckfurt* d. Lunæ post S. *Barthol.* Anno 1,40. Co-  
missioni illi Cæsareæ pro facienda executione laudis *Ottonici* an-  
nexa simul fuerunt mandata revocatoria ad omnes iudices se-  
culares, *Scultetos* aliosq; *Præfectos Principatus Anhaltini* & *Comi-*  
*tatus Ascania*, ut ad proclamata Principis *Bernhardi* iudicio fre-  
quentes compareant, officio suo fungantur, & unà cum *Exe-*  
*cutore* seu *Commissario Cæsaris*, *Ulrico de Bebenburg*, *Principem*  
*Bernhardum* possessioni & guarandæ bonorum spoliatorum  
restituant, & *Episcopo Halberstaden*si judicialiter denuntient  
ut manum à bonis illis absteineat, siquidem Cæsarea sua Ma-  
iestas nihil quicquam juris in bonis illis ipsi confiteatur: sub  
eodem dato.

Quamvis autem Cæsareus *Executor* per potentiam partis  
adversæ, collecta ab eadem armata manu, impeditus fuerit,  
quò minus *Bernhardum Spoliatum*, *Principem Anhaltinum* &  
*Comitem Ascania*, in realem possessionem bonorum spoliato-  
rum ipso actu & realiter restituere potuerit, tamen eundem  
pro tribunali judicialiter, præsentem tum temporis *Electore*  
*Saxoniae Duce*, *Rudolpho*, *Eiusdemque Filio Duce* itidem *Rudol-*  
*pho*, nec non *Comite Alberto*, *Principe Anhaltino*, multisque  
aliis *Comitibus* & *Nobilibus Dominis*, in scriptis immisit,  
ipsumque in omnia spoliata bona, prout ea in documento fa-  
ctæ executionis & immisionis verbotenus specificantur, no-  
mine & loco Cæsareæ Maiestatis restituit. Realem autem sive  
actualem possessionem & guarandam, quamvis urgendo in-  
stando, sollicitando nulli labori, nulli diligentia, nullis sumti-  
bus

14

bus 'pepercerint : tamen propter potentiam partis  
adverſæ, qua ſubinde potentiffimos quoſque in Episcopos  
ſibi poſtulavit & elegit, tum propter ruroas ſubinde in Impe-  
rio exortas, tum propter alia impedimenta & emergentia in  
hanc uſque horam recuperare nondum potuerunt, quamvis  
nihilominus civilem poſſeſſionem ſubinde atq; indefinenter,  
abſq; ulla interruptione, animo retinuerint, dum *investiturae*  
*regalis* renovationem non ſolum ſingulis & quibuſcunq; caſi-  
bus debito modo perierunt, & ab omnibus Imperatoribus  
continua & nunquam interrupta ſerie in hunc uſq; diem ob-  
tinuerunt, nominibus titulis atq; inſignibus *Comitum Aſcania*  
indefinenter uſi, quibus etiam totum Imperium, omneſq; e-  
jus Electores, Principes & ſtatus, quin ipſi etiam Episcopi &  
*Capitulum Halberſtadenſe*, Principes *Anhaltinos* à multis jam  
ſeculis ſubinde maſtavit, atq; etiamnum maſtat. Quidē  
quod etiam realis ſive actualis poſſeſſionis recuperationem in  
omnibus ferè ac ſingulis *investiturarum* renovationibus, nec  
non in aliquot Imperii Comitibus, prout ratio ſtatus & tempo-  
rum è re nata tulit, Principes *Anhaltini* eorundemq; Majores  
ſemper ac ſubinde quàm diligentiffimè ſolicitarint juraq; ſua  
& competentiam inclutæ *Domus Anhaltinae* quibuſcunq; oc-  
caſionibus per neceſſarias proteſtationes, contradictiones, re-  
ſervationes aliasq; cautelas juris ſui conſervatorias omni me-  
liori modo in tuto ſemper reſervârunt. Uſq; dum, & quoniam  
hæc tamen omnia exoptatiſſimum illam recuperandæ realis  
poſſeſſionis effectum producere non potuerunt, MAXIMILI-  
ANUS quondam I. glorioſiſſimæ recordationis, pro conſer-  
vatione non ſolum Imperii Romæ; juris & domini directi in  
feudo Imperii tam antiquo & regali, verùm etiam juris & do-  
mini Principum *Anhaltinorum* utilis, Eorundem Majoribus  
Anno 1495. ſuperiùs memorata Imperatoris LUDOVICI re-  
ſcripta, acta, mandata revocatoria & executoriales, ex certa  
ſcientia & deliberato conſilio in omnibus ac ſingulis ſuis pun-  
ctis, articulis, tenore, ſenſu & contentis, prout de verbo ad  
verbum

verbum sonant, Imperiali autoritate benignissime renovavit,  
 confirmavit, roboravit, ac præterea, si fortean per temporis  
 diuturnitatem ulla aliqua præscriptio processisset, vel etiam  
*Majores Anhaltinorum* per taciturnitatem, silentium vel  
 quemcunq; alium modum quippiam neglexissent, adversus  
 illa omnia eosdem in integrum restituit, & quocunq; modo  
 neglecta redintegavit, in eumq; statum illos reposuit, ac si  
 prælibata Impetatoris *Ludovici* rescripta, mandata & execu-  
 toriales, ab ipsa *Cæsarea Maiestate* sua, sub suo nomine suoq;  
 mandato emanassent, adjecta insuper peculiari illa gratia &  
 privilegio Imperiali, quod deinceps nulla præscriptio, nec  
 diuturnitas temporis inclutæ domui *Anhaltinæ* in hac causa  
 quicquam præjudicare debeat, atq; etiamsi vel extunc, vel  
 futuris temporibus *Episcopus & Capitulum Halberstadense*, vel  
 etiam *Senatus & Communitas Ascaniensis*, vel quisquam ali-  
 us, intra vel extra limites juris prætere præsumant, ac si  
 prædicta gratia, restitutio & privilegium imperiale in ipso-  
 rum præjudicium, ipsis non auditis, impetrata extractave es-  
 sent, quod tamen talis prætensio ipsos nihil juvare, nec inclutæ  
 Domui *Anhaltinæ* eiusdemq; heredibus ac posteris quic-  
 quã derogare vel præjudicare debeat vel possit, ullo modo at-  
 tento, quod *Cæsarea Maiestas* ista omnia ex vera, certa & fun-  
 damentali scientia & informatione ita statuerit, & vigore ista-  
 rum literarum statuatur, omnia & singula ex plenitudine potesta-  
 tis Cæsareæ, motu proprio & ex certa scientia. Quã respectivè  
 imperialem confirmationem, restitutionem & privilegium  
 deinceps à *MAXIMILIANO I.* omnes ac singuli subsequen-  
 tes *Reges & Imperatores Romani* in hunc usq; diem benignis-  
 imè renovârunt, & sub prægnantissimis clausulis confirmâ-  
 runt; quæ omnia notabilè hunc effectum producunt & operantur,  
 ut causam illam *Ascaniensem* in hanc usq; horã in terminis  
 puræ ac meræ executionis conservâriat, quoniam subsequen-  
 tes omnes Imperatores pro conservando non solum Principi-  
 pum

p̄ Anhaltinorū jure & dominio utili, verū ipsius etiā imperiū  
 jure regio & dominio directo Imperatoris LUDOVICI rescri-  
 pta, mandata, executoriales ita confirmarunt ac renovarunt, ac  
 si ab Ipsismet decretæ sub propriis Ipsorum nominibus & ad  
 mandata sua propria emanassent, & quidem sub prægnantissi-  
 mis istis clausulis, non obstante ulla aliqua præscriptione præ-  
 terita vel futura, nihil etiam remorantibus partis adversæ præ-  
 tensionibus, cum ex certa, vera & fundamentali inquisitione  
 9; informatione, ex plenitudine potestatis Cæsareæ, motu  
 proprio & certa scientia profluxerint.

Quamquam autem ost impetratam modò dictam confir-  
 mationem, restitutionem & privilegium imperiale Principes  
 Anhaltini Eorundemq; Maiores iterum nihil quicquam solis  
 civitatis, diligentia, studii, operæ intermitterent, nullisq;  
 sumptibus epercerint ut realem possessionem & guarandam  
 spoliatorum Comitatus *Ascanensis* bonorum & pertinentiarum  
 recuperarent, tamen, ob potentiam & favorem partis ad-  
 versæ, juris & voti sui compotes cum effectu fieri in hanc usq;  
 horam nondum potuerunt.

Quia verò nihil æquius, nihil iuri & justitiæ ipsiusq; res  
 Cæ rationis dictamini magis consentaneum, quam ut suam  
 cuiq; tribuatur, & rebus ac bonis quisq; suis cum effectu potias-  
 tur, res judicatæ inviolabiliter & sanctè custodiantur, & reali  
 executione firmentur, Imperiales etiam & Regiæ percontia-  
 nuam & nunquam interruptam Imperatorum seriem in hunc  
 usq; diem continuatæ investituræ eius sint effectus atq; opera-  
 tionis, ut taliter investito licentiam & facultatem possessionis  
 etiam propria autoritate apprehendendæ pæstent, ac præterea  
 nature & omnium gentium jure introductum, & in primis S.  
*Romani Imperii* constitutionibus cautum firmatumq; sit, ut  
 possessione sua vi dejectis omni studio & ope succurratur,  
 verisq; Dominis ablata restituantur: Quam in æquitatem ex-  
 emplo laudatissimorum Antecessorum, hodieq; Cæsareæ in-  
 clinat

Inclinat *Maiestas*, tanquam tutissimus naufragorum Portus, opp-  
 pressorumq; Refugium, inclinant S. Imperii Electores, Princi-  
 pes & Ordines, tanquam eiusdem Corporis Membra, quæ  
 mutuam sibi defensionem etiam per naturæ legem debent?  
 Neq; minus inclinant Serenissimi & Potentissimi Reges, Prin-  
 cipes & Magistratus exteri, qui, ut regna, principatus & respu-  
 blicas iustitia stabiliti non ignorant, & huius se præsidio for-  
 tissimè & felicissimè in hunc usq; diem tutantur, ita præter  
 merita afflictis oppressisq; opem ferre laudi sibi gloriæq; du-  
 cunt, & illam naturæ implantatam regulam: *Quod tibi vis fieri,*  
*alteri quoq; feceris*, suis comprobant suffragiis; Idcirco Princi-  
 pes *Anhaltini* Sacram *Cæsaream Maiestatem* cum primis, tum &  
 quoscunq; alios intra & extra Imperium Christiani nominis  
 Reges, Electores, Principes Ordines, Status & Respublicas  
 ea, qua par est, devotione & respectu decenter implorant, ut  
 I. *spoliæ detentionis Halberstadenfis* iniquitatem & iniustitiam  
 notoriam II. super eadem pronuntiatum ab electis Arbitris  
 & Ottone *laudum*, sive sententiam restitutoriam, III. super *lau-*  
*do illo Ottonico* decretas & in hunc usq; diem confirmatas exe-  
 cutoriales Cæsareas immissiones investituras, retentam pol-  
 sessionem civilem, mandata, denuntiationes, decreta, restitu-  
 tiones & privilegia Cæsarea, irretortis in iustitiam & notori-  
 eratem huius causæ oculis, secundum ea, quæ in hoc *Manife-*  
*sto* brevissimè quidem verissimè tamen deducta sunt, intueri,  
 & Sacra quidem *Cæsarea Maiestat* iussum suum Cæsareum,  
 Cæteri verò Reges, Electores, Principes, Ordines, Status &  
 Respublicæ suas recommendationes, studia, vota atq; suffra-  
 gia eò velint dirigere, quo dictus *Comitatus Ascaniensis* cum  
 omnibus & quibuscunq; suis pertinentiis, tanquam antiquis-  
 simum Imperii *feudum vexillare*, in Principes *Anhaltinos* per  
 Maiores suos in nonum jam seculum traductitium, ipsis tan-  
 quam veris Dominis & Vasallis Imperii cum effectu et plenis-  
 simè restituatur, atq; ad recuperationem actualis possessionis  
 D ipfis



ipsis clementissimè, benevolè & amicè citra ulteriorem mo-  
 ram subveniatur, nec non Senatus & Communitas *Ascaniensis*  
 cum omnibus Vasallis, subditis & incolis dicti Comitatus ad  
 debitam fidem, subiectionem & obsequia Principibus *An-*  
*haltinis*, tanquam veris suis Dominis, præstanda remittatur, ac,  
 si fortè opus fuerit, compellatur, adeoq; Principes *Anhaltini*,  
 quorum fides & obsequium Romano Imperio à multis jam se-  
 culis abundè probatum, & historiarū monumentis commen-  
 datum, per vim ereptum & per tot jam secula iniquè detentū  
*Ascania Comitatum*, quasi prima *Anhaltina* Domus incuna-  
 bula, recuperent, & deinceps tranquillè sub *S. Cesareæ Maie-*  
*statis* & totius Imperii Romani clypeo possideant. Atque huc  
*S. Cesaream Maiestatē*, & quoscunq; Christiani nominis Reges,  
 Electores, Principes, reliquosq; Ordines, Status & Respublicas  
 tanto magis inclinatū iri supradicti Principes *Anhaltini* confi-  
 dunt, postquam in pertinacissimo & calamitosissimo hoc Ger-  
 mania bello totus *Anhaltinus* Principatus, per viginti jam annos,  
 in primis autem superiori anno, quo validissimi duo exercitus  
 intra viscera ejus, per integros ferè quatuor menses se obse-  
 runt, continuis militū exactiōibus, contributionib9, hospita-  
 tionibus, depredationibus & incendiis ita funestato vastatusq;  
 est, ut planè miserabilis maximæ partis modò sit facies, & ob-  
 scura plerorumq; pagorū extent vestigia, incolarū pluribus die-  
 lapsis, reliquis intra oppida partim miserè dilacerata compul-  
 sis, & ad summā paupertatē redactis, quin et ipsis antiquissimæ  
 Familia Principibus nullo ferè alio solatio, præter memoriam  
 nominis, dignitatis atq; juriam avitorum, relicto et superstite.  
 Quæ petita sunt hætenus, prout ipsius naturalis æquitatis et  
 communis omnium, quæ recta ratione ducuntur, gentium consens9,  
 bonæ fidei, conscientia, juris scripti, ipsio deniq; moralis ac di-  
 vine justitiæ solidissimo atq; indissolubili fundamento nitun-  
 tur: ita apud Sacrā *Cesaream Maiestatē* et quoscunq; alios Christi-  
 ani nominis Reges, Electores, Principes, Ordines et Respubli-  
 cas benevolas sibi aures et manus Principes *Anhaltini* plena fi-  
 ducia

ducia pollicentur, seq̄ vicissim ad quævis officiorū et gratitudinis redoltimenta promtos ac paratos offerunt,

F I N I S.

ECLIPSIS.

*Ejusdemq̄ solida refutatio.*

**E**clipsis Halberstadiensis, ut Manifestum Ascaniense tenebris involvat, etiam in iis occupatur, quæ nihil ad rem faciunt. Ac poterant illa à nobis silentio tuto transmitti, nihil, quippe refert:

1. *An Magnatum ditiones in Saxonia allodia fuerint?*
  2. *Num illi liberam & omnimodam de iis disponendi potestatem habuerint?*
  3. *Utrum Dominorum Ballenstedensium & Ascaniensium terra seu ditio statim cum nomine & dignitate Comitatus, vel postea, feudum esse cæperit?*
- Quemadmodum nec illa, quæ Eclipsi fortean ad tenebras spargendas aptissima videntur luminibus Anhaltinis officiunt: Nimirum,
4. *An Otto Anhaltinus Princeps, sine mare decedens, allodium reliquerit?*
  5. *An dominium suæ ditionis in Halberstadiensem Ecclesiam transtulerit?*
  6. *Num simultanea investitura jura per divisionem Bernhardi, Sigefridi & Ottonis extincta fuerint?*
  7. *An præscriptionis exceptio Ecclesie Halberstadiensi subveniat?*

Hæc, inquam, omnia adversæ partis præcipua molimina talia & tanta non sunt, ut fulgorem Manifesti Ascaniensis debilitare queant. Priores tres positiones, etiam veræ, nihilominus omni nervo carent, nec quippiam contra Anhaltinos Principes inferunt. Desumptæ enim sunt ex loco separatorum seu diversorum, quibus in cardine huius negotii vis legitimæ illationis seu conclusionis rectè negatur. Posteriora

admi.

adminicula removentur per ipsam naturam nostri negotii. Neque enim hodie de tela ordianda vel pertexenda agitur, sed quòd, executione reali promovenda & perficienda, tandem abrumpi finiriq̄ue debeat. Ab initio vel in fervore processus possunt hæc & alia aliquid negotii facessere. Post executionem autem decretam, & misso Executore ceptam, omne illud, quia ulteriorem disquisitionem & solennem probationem desiderat, vel planè, vel saltem in aliud tempus rejicitur.

Fiat modò executio, quæ in hoc casu ante omnia & diu fieri debuit, non deerunt postea Anhaltinis Principibus spongiæ, omnibus istis argumentis, veritate ipsa aquam suppeditante & manum ducente, delendis idoneæ. Quia tamen Autor *Eclipsis* existimat, se officio suo bene functum, dum statim ab initio fidem *Manifesti* sugillat, & obscura via per ambages eundo ad alia majoris præjudicii aditum quærit, ideo ea quoque, quæ directò nequibant nocere, tangenda erunt. Sequimur autem *Eclipsis* vestigia.

## ECCLIPSIS MANIFESTI ASCANIENSIS.

**H**Æc est ipsius Autoris inscriptio, ne litera quidem mutata. Mens eius & cura eò spectat, ut sol *Manifesti* deliquium patiatur. A scopo autem suo in tantum aberrat, ut in primo quoq; limine de augmento potius, quàm defectu cogitasse videatur. In voce enim, *Eclipsis*, literam C. contra veritatem originis geminatam esse voluit. Poterat incurari typographi incuria, nisi & alii errores leviter notati se passim proderent. Interea non malè res cecidit, quòd irritis suis molitionibus *Eclipticus* Autor nomen *Eclipseos* imposuit. *Eclipsis* minatur soli *Ascaniensis Manifesti*: quæ non magis formidabilis est *Manifesto*, quàm soli *eclipsis* naturalis. Verè enim *eclipsis* sol non patitur, etiamsi videatur rudibus & simplicibus patri.  
Unde

Unde rerum naturalium periti solis *eclipsin* non veram, sed apparentem tantum esse docent: quia nec luce, nec lumine suo Sol privatur per Lunæ inter Solem & oculos nostros interpositionem: sed influxu ejus mortales tantum ad breve tempus fraudantur, quando affluxus prohibetur & avertitur. Ecce indolem & vim *Eclipsis Halberstadiensis*! Umbras spargit: sed luce & lumine suo *Manifestum Ascaniense* non privat: quamvis illud ab hebetibus imperitorum oculis non nihil tantum avertere conetur, ut in latebris suis tantò diutiùs & securiùs sua frui possit præda. Sed & hoc qualecunq; obstaculum (quod tamen acutioribus oculis non officit) ita auferent vindiciæ nostræ, ut nec ab hebetioribus quidem oculis avertere fulgorem *Manifesti* possit.

*Sed*

## VERA RELATIO.

### *Halberstadiensis Ecclesiæ antiquissimæ.*

Quantum hæc *Relatio* & *Veritas* differant, & quòd nulla planè concordia inter utramq; iniri possit, hîc non exprimimus. Omnia, quæ sequuntur, in eo sunt, ut dissidium illud meridiano soli exponatur.

*In quo ante multa secula ac temporum curricula Ascaniam titulo alio die ad eam translata, ac eo jure semper ad hoc præsens momentum possessam, Anhaltinorum verò præensiones sub: Obreptitias, nullas, injustas ac iniquas esse demonstratur.*

Pronomen relativum *Quo* nec ad *Eclipsin*, nec ad *Relationem* trahi potest, nisi cum magna *Prisciani* indignatione. Alias magnifica satis sunt hæc verba: modò satis vera, modò non falsa essent. Conferatur hoc *rubrum* cum suo *nigro*, & nihil prorsus reperietur, quo alterum alteri respondeat. Non, in-

D 3

quam

quam, est, quod hac inscriptione sibi Halberstadiensis Ecclesia blandiatur.

Nec habent Anhaltini Principes, cur ideo vadimonium deserant, ut Plinius alibi loquitur.

Inprimis autem promittitur nobis *demonstratio*: Ad occursum tam splendidae promissionis non immerito exclamaveris:

*Quid feret hic tanto dignum promissor hiatu!*

*Demonstrationem?* Nisi *eclipticam* intelligat, (cui cum vera demonstratione nil nisi nomen commune) atrocioris injuria apodixin Aristotelicam afficere non potuisset. Vera demonstratio scientiam ex evidentibus & immotis fundamentis gignit. Hæc *ecliptica* ne opinionem quidem: cum tota dubiis falsisque nitatur hypothesebus, & à veritatis via cum ipsa longissime aberret, tum credulos rudesque Antiquitatis abducat: ut ad oculos demonstrabunt vindiciæ.

## SENECA.

*Sic cum pari aut inferiore vivas, quemadmodum superiorem aut parens velis tecum vivere.*

*Seneca*, hoc quoque in loco verè Christianus, non *Eclipsi*, sed *Manifesto* & Principibus Anhaltinis militat. Si *Senecam* hætenus audisset Ecclesia, & quod sibi fieri non voluit, alijs non fecisset, de spolio & iniuriosissima detentione Comitatus Ascaniensis per tot secula jam prætractè continuata conquerendi causam Principes Anhaltini non habuissent, nec in hunc usque diem haberent. Audiat Ecclesia adhuc *Senecam* ulcus eiustangentem, & tertio juris præcepto suus vigor, conscientiaè verò sua tranquillitas reddetur.

## ECLIPSIS.

S. i. In historia Saxonia saltem mediocriter versatis incognitum esse haut poterit, Principum ac aliorum

Magnas

*Magnatum territoria huius provincie, ante & post conversionem ad fidem Catholicam, tempore Caroli Magni, fuisse hereditaria ac pura allodialia.*

*I. Argumentum* Neque *Manifestum* hoc in dubium vocat, quod ab allodiali qualitate sumtum. tempus ante conversionem attinet. Idem potius de *Beringerorum vel Ursinorum* dititione a vita ibidem asserit, Ideo vocatur illorum terra *feudum Solis*, ein *Sonnen lehen*/ quod à Sole tantum, nec ullo alio recognitum fuerit, vel quod proprietas eorum à solo Deo obvenerit.

Quemadmodum Supremi Domini dominia sua soli DEO & ensi accepta ferunt. Sunt tamen, qui per *feuda Solis* ea intelligunt, quæ instar Solis duratura *manui mortue* confectantur: veluti Ecclesiis, Coenobiis, Civitatibus, Communitatibus. &c.

Sed quid tandem ex ista primæva qualitate *Ecclesia Halberstadiensis* lucrabitur? Munita fuerunt & *allodia* adversus aliorum appetitum & injurias. Et quæ *allodia* olim erant, potuerunt *feudi* naturam assumere latenti & occulto modo. Videtur *eclipticus* lux mediocri cognitioni subsidium petere à duabus circumstantiis: 1. quod tempore *Caroli M.* in bonis *Magnatum Saxonorum* titulus *feudi* haut occurrat: 2. quod ex adverso indicia hereditariæ qualitatis, etiam post *Caroli M.* ævum, frequentia conspiciantur.

Ad priorem circumstantiam respondemus, juxta istius tempestatis rationem & simplices actionum etiam solennium formulas, non fuisse necessum, ut verbis conceptis *feudalis obligationis* mentio fieret. Rudi & candido ævo sufficiebat reconciliatio apud victorem inventa, & fides à Victo data. Atque hic mos etiam post *Caroli* progeniē sub *Ottonibus* viguit. Apud omnes Historicos in cōfesso est, quod *Beringarius Pater & Adelbertus* Filius in gratiam ab *Ottone Imp.* recepti regnū *Longobardicæ* feudi

feudi jure recuperârint. Et hanc rem Reginonis continuator  
 sic narrat: Beringarius cum filio Adelberto sese subjiciens Ottoni,  
 ab eo ut subditus recipit regendam Italiam. V Vitichindus Mo-  
 nachus autem ita: Cum conventus fieret, Beringarius manus filii  
 sui Adelberti suis manibus implicans, renovata fide, coram omni ex-  
 ercitu famulatu Regis se cum filio suo subiugavit, & ita dimissus  
 remeavit cum gratia & pace. Plenius autem Regino lib. 2. sub. A.  
 C. 952. rem ita exponit: Eodem anno, mediantē Augusto mense,  
 conventus Francorum, Saxonum, Bavarorum, Alemannorum &  
 Longobardorum publicus apud Augustanam urbem Rhetiae provin-  
 ciae agitur: ubi proscriptus Berengarius cum filio suo Adelberto re-  
 gia se per omnia in vasallitium dedit dominationi, & Italiam ite-  
 rum cum gratia & dono regis accepit regendam. Autores quidem  
 feudi expressam mentionem haut faciunt: alius quoque subiecti-  
 onis, alius fidei & famulatus, alius demum vasalliti meminit.  
 Omnes tamen in eo conveniunt, & omnes Viri prudentiores  
 ex illis colligunt, idem hic per nudam subjectionem denota-  
 ri, quod fides, famulatus, vel vasallitium indicat hoc est, revera  
 contractum feudalem in hoc solenni actu celebratum fuisse.  
 Idem ut de nostris Saxonibus à Carolo M. in ordinem radactis  
 statuamus, eadem ratio idemque procedendi modus nos mo-  
 net. Nimirum atrox fuit, diuturnum, varium, & multis muta-  
 tionibus insignis bellum, quod Carolus M. cum gente illa gef-  
 sit. Nec potuit apud hanc fundamenta Germanici Imperii inter  
 tela & continuū pulverē aliter jacere, nisi cum nonnullis inno-  
 vationibus. Hinc tam personis, quam rebus nova qualitates cum  
 primis successibus impressae fuerunt. Et inter qualitates istas ea,  
 quae feudalis dicitur, haut prorsus nova neque adeo difficilis esse potu-  
 it Non prorsus nova: Constat enim, & ante Carolum M. apud Saxo-  
 nes rerum feudalium notitiam atque usum fuisse. Gothi, scribit  
 Hugo Grotius lib. 2. de jur. bell. c. 7. §. 21. & ex eo Conringius  
 de Origin. jur. c. 32. p. 155. Vandali, Alemanni, Franci, Burgun-  
 diones, Angli, Saxones, nationes omnes Germanicae, suas singuli leges

ges aut mores de feudis non minus, quam Longobardi habuerunt. Qualitas quoque illa nequaquam fuit difficilis: tum propter Francorum & Saxonum confinia, tum ob Caroli M. crebras victorias, & tandem inter utramque gentem exæquatum imperium. Quod si enim *allodium* per spontaneam oblationem in *feudum* facillimè degenerat, longè facilius hoc evenire potuit, cum ad Victoris Caroli M. arbitrium Saxones starent caderentque. Terras jure belli amissas à manu Victoris recipere, libertatis originariæ restrictionem pati, Imperio & Imperatori fidem dare haut levia argumenta fuerunt clientelaris, in feudis Francorum usurpati & ab his ad Saxonum Magnates transeuntis, obsequii. Vnde viri, non mediocri, sed insigni rerum antiquarum cognitione imbuti, contra *Eclipsin* sic scribunt: *Witekindus à Carolo Magno investitus fuit in Magnum Ducem Saxonie. Eticho, Witekindi ex Fr. Brunone Nepos, præ nimio libertatis studio feuda sibi nulla conferri est passus. Huius filio Henrico terram, quam, concensis bigis celerrimis, aureum vehiculum in gremio asservans ambierat, LUDOVICUS ut feudum concessit ac tradidit A. C. 860. Et quid non Saxones aliquoties victi tandem in se permisissent Sigebertus Gemblacensis A. C. 777. de illis ita scribit: Saxones baptizati paciscuntur, ut ingenuitatem suam & omnia sua perdant, si unquam à fidelitate CHRISTI & Regis desistant.*

2. Quod posteriorem circumstantiam concernit, se felisse videtur *Eclipsin* Status subsequentiū temporum, & frequens Ducatum, Principatum, Comitatum ad Filias quoque & extraneos translatio. Sed inspiciat momenta rerum, & facilis erit erroris refutatio. In primis scire debebat, post Caroli M. mortem, non semper eandem fuisse nonnullarum provinciarum conditionem & faciem. Ex *allodis feuda*, & ex *feudis allodia* facta novimus. Idque ideo, quia, inclinantibus nonnunquam Imperatorum viribus, & crescente novorum Ducum potentia,

E

multi



multi de provinciis sibi jure proprio attribuendis cogitabant, instar Regum liberè regnaturi. Hujus autem conatus vel mutationis indicia apud *Comites Ascanienses* nulla exstant: & infra §. 23. ostendetur, nec filiabus, nec exteris aliquid jaris in hunc Comitatum relictum fuisse. Malè itaq; & contra Antiquitatis testimonium sentit ac scribit *Eclipsis*, quando *Caroli M. 2vo*, etiam post *Saxones* devictos & vera sacra amplexos, nulla principia feudalia in Magnatum bonis per Saxoniam admittit.

§. 2. Possessoresq; eorundem liberam ac omnimodam potestatem de iis disponendi habuisse.

Hæc libera ac omnimoda disponendi potestas moribus *Germanorum*, inter quos *Saxones*, Anno ante CHRISTUM natum 433. à *Trithemio* recensentur, nequaquam respondet. Ita *Tacitus*: *Heredes successoresq; sui cuiq; liberi: & nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculi.* Frequentari quidem coepit post *Carolum M.* restandi libertas, manentibus tamen restrictionum notis & indiciis. *Patris*, inquit *Saxo*, *matrisq; fratris vel sororis hereditatem filius percipit, & non filia.* Et *filia*, scribit *Theodor. de Niem.* in patrio dominio succedere haut potuit. Quod & antiquissima *Salica* lege cautum, & in *Anglorum Thuringiorumq;* leges relatum fuit. Superest hodieq; coërcitio illa in rebus expedioris & utensilibus.

His succurrit fortissima præsumptio, quæ *Eclipses* omnimodæ libertati multum adversatur. Loquuntur enim annales, quàm strenuè *Saxones* ante & contra *Carolum Imp.* non solum pro aris, sed etiam pro focis suis pugnaverint de hoc unice solliciti, ut quæ sita & possessa Posteris facta recta relinquerent. Et ab hoc pulcherrimo instituto Posteritatem adeò alienam fuisse putabimus, ut, fenestra liberrimæ alienationi aperta se suamq;

suamq; innocentem sobolem multare, ac patrimonia avita prodigere voluerit. Vix etenim à prodigalitate distat nimia illa & omnimoda disponendi, seu sua perdendi, licentia. Eamus per exempla istius avi, & expendamus duo tantum omnibus notissima. *Witekindus* jam *Saxonia* Dux plerasq; ditiones sibi ac suis, & quidem, ut multi scribunt, cum feudi nexu vel onere, retinuit: parte aliqua amissa, non per liberam & omnimodam disponendi facultatem: sed per amittendi necessitatem, & quidem ad benignissimi *Victoris* arbitrium.

Familia *Albionis* (aliàs *Aribonis*) jam amplius sexcenti- annis, teste *Peucero*, oram istam *Albi* & jugis *Harcynia* vicinam fortiter defenderat. Ex hac oriundus *Aribo-Beringerus Anhaltinorum* Principum Progenitor, quem *Krantzius* itidem *Albionem* vocat, de hoc vetustissimo patrimonio non modò sibi, sed filio etiam rectè cautum esse voluit. Victus erat: periclitabatur ejus causa; tandem offerebatur *Victoris* gratia & nova dignitas.

Verùm charitatem aviti patrimonii præferebat omnibus. Hoc demum salvo facile adductus fuit, ut se & filium *Carolo* *Victori* & Benefactori submitteret. Posteriores in suis custodiendis adhuc diligentiores erant, cum, invalescente sequentium seculorum avaritia, fortunæ & possessiones Principum magis periclitari inciperent. Ostendere possunt *Anhaltini* Principes hujus cautionis vestigia, etiam in rerum sacrarum monumentis, quibus absque Agnati, saltem proximi, consensu nulla vera securitas obtigit. Imò ne sic quidem, cum detrimentum totius familiæ deprehenderetur: quod infra S. 22. exemplis firmabimus. Tantum abest, ut ad omnimodam illam maximè noxiam disponendi licentiam Majores proclives fuerint. Norant siquidem & illi non minùs, quàm *Atheni-*

*enses*, servitutum vel maximè conducere Familiarum conservati-  
 vationi, qua facultates defuncti in familia manere jubentur.  
 Candori & integritati Gentis suæ optimè convenire, ut bona  
 relinquuntur iis, quos natura & sanguis ad successionem vo-  
 cat. Et hæc cura *Anhaltinæ* quoq; Familiæ placuit, vel ideo sem-  
 per prælatis etiam remotiorum graduum masculis,

*§. 3. Si quis igitur eiusmodi bonis feudatariam masculinam indolem as-  
 serere conatur, huic omnino transeundum ad castra legitimarum pro-  
 portionum.*

Solet quidem à nostris frequenter allegari generalis præ-  
 sumptio, qua res quælibet libera esse creditur, quoad contrari-  
 um probetur, Sed quemadmodum in toto jure generi per spe-  
 ciem derogatur : ita præsumptio ista generalis per specialem,  
 quæ & fortior atque potior habetur, excluditur. Hujus specia-  
 lis præsumptionis fundamenta in §. 1. jecimus, quæ breviter  
 hîc repetimus, de iis etiam in §. 6 & 8 dicturi, *Carolus M. Im-  
 perator & Victor Beringerum & Ascaniensem Hostem & Victum*  
*in gratiam recipit : sed difficulter, & ad enixas preces Comitis*  
*Hennenbergici, Reddit eidem avitum patrimonium. Adjicit*  
*novam Comitis dignitatem, & quidem ad heredes transitori-*  
*am, Et hæc omnia absq; certa pactione inter Imperatorem &*  
*Subditum, Victorem & Victum, Benefactorem & Beneficiariū*  
*facta fuisse putabimus? Beneficium dare & accipere, defensio-*  
*nem & fidelitatem spondere, ad primordium veræ qualitatis*  
*feudalis tum temporis utiq; sufficere poterant. Conferatur no-*  
*bile hoc exemplum cum Berengario Italo & Adelberto in grati-*  
*am receptis, nec ovum ovo, lac lacti similis erit. Et de his ta-*  
*men uno ore statuunt omnes, regno illorum hoc modo condi-*  
*tionem feudalem impositam fuisse.*

Huic speciali præsumptioni succenturiamus aliam, & quidem  
 iterum specialē, adeoq; generali illa fortiolem. Nam aliquot  
 secula labuntur, ex quibus Principes *Anhaltini* Imperatorum  
 solent

solennes investituras continua serie allegare, earundemq; documenta exhibere possunt. E diuturno hoc lapsu & statu presentis temporis exsurgit præsumptio, Comitatum illum & antehac fuisse *Feudum Imperii*. Quam præsumptionem egregie stabilit *Speculum juris Saxonici*. Et quid prohibet, quo minus nobis liceat hujus præsumptionis beneficio ad ipsa Comitatus ASCANIENSIS incunabula progredi? Neq; enim intermedia tempora tam insignes feudalis obligationis notas produnt & prominent, quales sub ipsum Comitatus initium deprehendimus. Dandum quoq; est hac in parte facti Imperatoris LUDOVICI IV. aliquid, qui ASCANIAM *feudum Imperii* declarat. An *Eclipsis* hunc rerum imperialium planè ignarum & incuriosum faciet? Egregiè illum doctum fuisse, nihilq; sine sapientum consilio egisse, veriores Historici consentiunt. Hic & Prudentes, si non aliunde, tamen ex Imperii catalogo & *Saxonum* jure, more quoq; & facti antecedentium Imperatorum discere potuerunt, Comitatum *Ascania* pertinere ad *vexillaria feuda* Imperii. Neq; enim in obscuro latebat tum temporis cum ditionibus suis illustris hæc Familia, ex qua non ita pridem Marchiones *Soltquellenses*, *Brandenburgenses*, *Duces Saxonie*, & Principes *Anhaltini* prodierant, Electores, Status & Vasalli Imperii. Atq; istud *Ludovici Imp.* factum omnes reliqui Imperatores exemplo & suffragio suo comprobârunt. Et audax hæc atq; larvata *Eclipsis* tot Imperatores cum Consiliariis eorum ignorantia vel injustitia accusaverit? Frustra omnino est; frustra quoq; ab *Anhaltinis* Principibus, duplici speciali præsumptione & tot argumentis stipatis, novas probationes, post rem judicatam & executionem impetratam, exigit.

S. 4. Quanquam igitur invictissimus Cæsar *Carolus Magnus* Romanorum more nonnullas devictas ditiones in provincia formam redegit, nonnullas verò sub conditione fidei Catholicæ suscipiendæ, in clementiæ, misericordiæ ac gratiæ signum, ut *Witekindo Saxoni*, restituit, &c.

Poterant hæc in medio relinqui : nihil enim inde contra *Anhaltinos* Principes eorumq; jura colligitur. Ut tamen mediocri *Eclipseos* notitia in rebus antiquis dilucidius appareat, non abs re erit, si errores hîc commissos breviter notaverimus.

Dicit primùm *Eclipsis*, quòd *Carolus Magnus* Romanorum more nonnullas ditiones *Saxoniae* in provinciae formam redegerit. Et quidem *Carolus M.* apud *Kranzium* in *Saxonia* ita loquebatur, cum *Ecclesiae Bremensi* dotem constitueret; sed improprie. Hæc autem abusiva locutio non decet *Eclipsin*, de vero jure & Statu antiquorum ex ipsis ut putat fontibus & veris principiis differentem. Nequaquam enim pars terræ *Saxonicae* novis *Ecclesiis* adscriptæ in provinciae formam, & quidem more Romanorum, redacta dici potest. Nota & character huius rei erat patriarum legum ademptio, & Romanarum surrogatio. Id quod & apud nostros in *Cis-Rhenanis* observatum refert *Hotomannus*, quorum tertia servitus erat, ut ne legibus suis patriis uterentur, sed magistratus à populo Romano cum Imperio & securibus mitterentur. Hinc servitutis hujus speciem & ignominiam evitaturus *Attalus*, cum *Asiam* populo Romano legaret, hanc cautelam adjecit, ut iure suo uteretur, neq; in provinciae formam redigeretur.

Hanc notam ostendat *Eclipsis* apud *Saxones*, quorum Majores nihil ægrius tulerant, quàm Romanorum leges & ordinem judicarium, ut è *Variana* clade & acerba ista insultatione, *Tandem vipera sibilare desine*, apparuit. Contra manifestum est, universæ *Genti Saxonicae* & libertatem & autonomiam ab Imperatore A. C. 810. in castris Saxonum, auf der *Sachsenburg* confirmatam fuisse. Sustulit quidem nonnulla Imperator, quæ Christianæ religioni adversabantur, substitutis purioris doctrinæ legibus, Hæ autem officium jus dicentis non concernebant.

bant, sed docentis populum. Episcopos constituit, non Prætores, jurisdictionemq; vel planè intactam reliquit, aut saltem sub nomine officij & administrationis perpetuæ, ut antea præsidibus, Ducibus & Comitibus *Francorum*, concessit. Imò acerba quoque & in quibusdam articulis barbara Gentis perennitatis permittit, quæ vix tot seculorum lapsu mitigari poterunt.

Deinde & in eo fallitur *Eclipsis*, quando *Carolus M<sup>o</sup>* in restitutione *Witkindi* & aliorum religionis tantum Christianæ, non etiam fidei secularis rationem habuisse existimat. Ingens illud & tremendum supplicium, cum A. E. 782, prope *Verdam* quatuor mille & quingenti capite plecterentur, violationem fidei civilis & ruptæ pacis damnum potissimum ulcisceretur. *Sigebertus* quoq; *Gemblacensis* supra fidem *CHRISTO* & Regi datam conjunxit. Et scribit *Regino*, quòd *Saxones* victi A. C. 775 homagium *Carolo Magno* præstiterint. Idem *Carolus* profiteatur se *Saxonia* Dominum: ita enim loquitur, cum *Episcopatum Osnabrugensem* condit: *Carolus, Imperator Augustus, Romanum gubernans imperium, Dominus & Rex Francorum & Longobardorum, nec non Dominator Saxonum*. Quare devictæ Gentis indicia & in titulo & in re ipsa tum temporis erant conspicua, quamvis tributum remissum fuisset. Et nihil est, quod suadeat, minorem sibi *Carolus* in *Saxones* usurpasse potestatem, quam in cæteros devictos, & in ipsos suos *Francos*. In *Saxones* scilicet, qui *Scythas* imitati & alienigenas dominos exosi sæpius à fide data defecerant. Quæ frequens mutatio non potuit non permovere Cæsarem, ut de aliquo fidei vinculo huic genti injiciendo cogitaret.

Nobile est exemplum *Thasilonis Bavari*, qui semel tantum suspectus, teste *Sigeberto*, non poterat, nisi juramento fidelitatis prævio, et datis obsidibus, in gratiam redire, quam

vis

vis *Agnatus* esset ac Pontifex intercederet. Tandem aliquo-  
 ties recidivus & graviora meritis, confusa accepta, in cœno-  
 bium famosissimum & antiquissimum Laurishamense,  
*Laurisham*, detrudebatur. Monumentum eius ibi-  
 dem cum tali inscriptione conspicitur narrat *Freherus in origin-*  
*palatin:*

CONDITUR. HAC. FOVEA. QUEM.  
 PIE. CHRISTE. BEA. TESSILO. DUX. PRI-  
 MUM. POST. REX. MONACHUS. SED. AD.  
 IMUM. IDIBUS. IN. TERNIS. DECESSE-  
 RAT. ISTE. DECEMBRIS.

Quid *Saxonibus* hostibus acerrimis factum fuisse  
 putabimus?

§ 5. Tamen hæc provinciarum distributio præcipue non prophanam, sed  
 fidei propagationem concernebat.

Mira est harum & præcedentium, uti & subsequantium,  
 linearum compages. *Eclipsis* impugnat *qualitatem feudalem*  
 in secularibus, & tela sua à rebus DEO dicatis, si rectè illam as-  
 sequimur, petit. Nimirum à diversis ad diversa argumentatur,  
 quoniam nulla idonea ratione adjuvatur. Sequamur tamen  
*Eclipseos* ductum.

Loquitur autem vel tantùm de *Ecclesiis* constitutis & pa-  
 trimonio iisdem assignato: et tunc vera quidem est assertio;  
 nihil tamen exinde contra *qualitatem feudalem* ditionum cæ-  
 terarum colligitur. Vel intelligit simul restitutas ditiones,  
 quod sequens *paragaphus* velle videtur, et negari nequit, quin  
 et *Restituens* & *Restituendus* tam de fide Christiana, quàm hu-  
 mana, hoc est, de repub. et familia conservanda propagandaq;  
 egerint. Neuter scopus ab his pactionibus excludebatur. Et  
 poterat in uno eodemque subiecto, in uno quoque et eodem  
 actu

actu fides DEO & Imperatori data concurrere. Hoc stante potuit quoq; Victor de mediis ad utrumq; finem tendentibus cogitare. Illuc spectabat baptismi ritus & sedula informatio, Antistitibus demandata; huc collineabat fidelitatis promissio. Et parum refert, num *Carolus M.* præcipuam curam in Christianismi propagationem impenderit; modò constet, curam reipub. & familiarum non protus fuisse exclusam.

Quamvis ex historia veteri facile adduci possint argumenta, quæ parem Imperatoris curam infirmo statu politico ostendunt. Quicquid sit; nullo modo verisimile est, nec antiquæ consonum historiæ, omni regionum posita cura, de sola religione laborasse *Carolus M.* in condenda Monarchia occupatissimum. Nihil quoq; solidi, quomodocunque tandem hæc thesis accipiatur, ab *Eclipsi* adfertur, quod *feudalia jura* è Magnatum bonis per *Saxoniam*, *Caroli M. xvo*, eliminat.

*S. 6. Donec tandem successu temporu paulatim ac latenter feudatariam assumerent naturam*

Rectius & veriùs ita: *donec tandem ac successu temporis gliscens antehac feudorum natura se magis magisque exsereret.* Dictum enim & probatum fuit antea, *feudorum* usum etiam apud *Saxones*, *Caroli M.* tempestate, fuisse; qui sub initium quidem obscurior & infrequentior, postea autem coli & extendi coeptus cum tempore inclaruit ac invaluit. Nimirum omnium ferè rerum conditio hæc est, ut è parvis & latentibus initiis paulatim surgant ac emergant. Et quæ hoc modo irrepunt, vix fuisse percipiuntur, nisi aliquem progressum fecerint. Vnde *consuetudinis* initium indagare vix possumus, quia in vetustis origo plerumq; ignoratur. Et de natura *consuetudinis* est, originem ignorari. Hoc ipsum de *feudorum* quoque origine & natura apud *Saxones* tuto dicere liceat, quæ vel ideo obscura & incerta diutiùs exstitit, quia Majores in rebus suis posteritati per

F

literas



litteras tradendis incuriosi erant. Et solebat aliàs nullus contractus plures mutationes recipere, quàm feudalís. *Naturalia feudorum*, scribunt alii, magis, quàm ulla aliorum contractuum, variationibus subjacent. Primo illo & rudiori ævo sufficiebat qualiscunq; feudi forma, ut & brevissima illa juramenti formula: *Promitto, me Domino meo Carolo & Filiis ejus fidelem futurum in tota vita, sine fraude doloq; malo.* Postea aliæ atq; aliæ inventæ fuerunt, uti videre est apud *Cusanum, Carolum Sigonium* & alios. Sic olim scriptura non æquè videbatur necessaria: id quod & feudalium consuetudinum *Compilatores lib. 2. tit. 2. agnoscunt.*

Subsequentibus temporibus diligentius fuit adhibita, crevitq; contextus verborum & clausularum solennitas cum annorum numero. Olim *feuda*, etiam regalem dignitatem habentia, facilius ad foeminas transibant, masculis non obstantibus. Hodie istius rei usus haut æquè frequentatur. Erat quandoque restrictior numerus caussarum vasallum *feudo* privantium. Postea plures sunt additæ, quæ ipsæ etiam facilius extensionem recipiunt. Habebat olim, teste *Pruckmanno, Marchia feuda Solis*, ab omni recognitionis onere & periculo libera: hodie non æquè. Atq; sic porro de aliis. Non mirum itaq; est, quando sub *Carolo M.*, pro ætatis illius sinceritate & candore, minor fuit circa jura feudorum formularum strepitus & solennitas. Colebatur nimirum tum temporis fides in religione; non *Græcorum* more in cautionibus. Ignorabantur verba concepta & sesquipedalia, & cum Germana simplicitate conjungebatur brevis, sed constans, promissio, eiusdemque perpetua memoria & vera executio. Posteritas curiosior fuit in ejusmodi actibus & ritibus, hominum ingeniis & studiis, temporum quoq; mutationibus tale quid poscentibus. Atq; ita accipiendi sunt illi, qui *jurium feudalium* celebritatem, amplitudinem & descriptionem **LOTHARIO & FRI-  
DE**

DERICOI. Imperatoribus tribuunt. Neq; enim mens illorum hæc est, quòd sub his demum jura ista cœperint; sed quòd magis exulta fuerint. Fluctuabat antehac feudorum jus sine tot & tantis solennibus, ob varietatem morum & temporum. Exstitit tamen, quantum ad sua initia, etiam in antiquissimis Germanorum Familiis, ut post alios *Betsius* rectè scribit.

Quod *Anhaltinam* Prolapiam attinet, certum est, etiam, præter *ASCANIAM*, receptam fuisse qualitatem feudalem in multis aliis bonis ante *Lotharii* & *Friderici* tempora. Nam *Henricus II.* Imperator circa annum *CHRISTI 1011.* dominium directum, quod Imperio aliàs competebat, *Ecclesiæ Bambergensi* contulit in iis bonis, quæ *Principum Anhaltinorum* Progenitor *Berenthobaldus I.* *Saxonica* militiæ cum suprema regiaque dignitate Præfectus, victo *Hermenfrido* *Thuringiorum R.*, præmii militaris nomine apud fluvium *Unstrut* occupaverat. Fuerunt itaq; bona ista & ante *Henricum II.* feuda imperii. Illorum partem hodieq; & inter ea præcipuè castrum *Scheidungen*, (*Burgscheidungen*) splendidam olim *Thuringiorum* regionem, Principes ab *Ecclesiâ Bambergensi* feudi lege accipiunt: desideratis nonnullis propter injuriam temporum.

Sed largiamur *Eclipsi*, tamen citra veritatis præjudicium, Comitatum *Ascaniensem Caroli M.* tempestate non fuisse factum feudum Imperii *Romano-Germanici*. Quid inde? Concedit tamen ipsa, quòd bona Magnatum in *Saxonia* naturam istam paulatim ac latenter assumerint. Quid itaq; obstat, quò minus & hoc circa Comitatum *Ascaniensem* contingere poterit? Lapsus certè quinq; seculorum à *Beringero* reconciliato usq; ad *Henrici primi Anhaltini* Principis tempus huic mutationi vel decies suffecit. De hujus enim, ve etiam ulteriori tempore habemus testem *συγγρονον* & exceptione *Ecliptici* maiorem compilatorem juris *Saxonici*, quòd sc. Comitatus *ASCANIÆ* inter feuda *Saxonica Romani Imperii* vexillaria floruerit:

rit, & quidem diu, antequam lis aliqua inter hanc Familiam  
& Halberstadiensem Ecclesiam nasceretur. Vnde in claris  
& perspicuis non opus est amplius coniecturis. Et parum  
refert, quantum ad hoc negotium, Caroli M. an alterius Im-  
peratoris ævo & instituto, *Ascaniensis* Comitatus ut feudum  
Imperii esset, convenerit, modò constet, ante motam con-  
troversiam in id conventum esse. Nam ita simul vilescit vel  
etiam perit omnis de *Ottoriana*, vel quacunq; alia translatione  
iactantia; de qua infra pluribus.

§. 7. *Spangenbergius* quidem in *Chronico Quersurtensi* lib.  
1. c. 76. fol. 71. historicè refert, modò dictum Imperator  
rem *Beringerium Anhaltinum* ad dignitatem Comitatus subli-  
mâsse.

Repetit idem *Spangenbergius* in sua *Saxonia*, cap.  
78., addens, quòd *Beringerus* non modò Comes *Ascania*, *Harcynia* &  
*Ballenstedii*, sed Dynasta quoque ad *Visurgim* &  
*Albim* renunciatus fuerit. *Anhaltini* nominis nulla  
ibi fit mentio: quia *Caroli* tempore & locus iste &  
appellatio ignorabatur. *Esicus* enim IV. *Ascanius* des-  
mum A. C. 952. aulam suam in sylvam *Harcyniam* transtu-  
lit, novo castro alicuius montis jugo non procul à fluvio  
*Sesse* imposito. Appellatur hodieque locus iste, rudi-  
rum tantum vestigiis adhuc exstantibus, VETUS ANHALT,  
der Alte Anhalt / *Krantzius* *Anholt* vel *Onholt* scribit, la-  
tinè *absque ligno*, quasi arx ista ex mero lapide excisa, nullo-  
que ligno adhibito condita fuerit. Et huius generis castra in  
vicinia quoque ista olim exstitisse, nullum est dubium. Sed  
opinio hæc per rem præsentem seu rei evidentiam refellitur.  
Alii *Anholt* appellatam autumant à *sylva*, arboribus, seu lignis,  
isti monti quàm proximè adjacentibus. Alii à *Tenere* seu  
*halten*: idque ex allusione Imperatoris, Principatum

*Anhaltinum* ideo constituentis, ut nova hæc dignitas, dimidia parte *rubicunda Aquila*, & dimidia parte *ferti Rustici* conspicua, utrumque Electoratum, *Brandenburgicum* & *Saxonicum*, arctius conjungeret ac colligaret. Putant, hoc velle Principatus insignia, brachia nimirum diversicoloria & divaricata, *galea Anhaltina* imposita, utraque manu tenente suum *pennarum Pavoninarum* fasciculum. Quemadmodum autem exstructio & appellatio istius arcis Principatus *Anhaltini* introductione longè antiquior est; ita verius existimamus, *Henricum* adhuc *Comitem Ascania* ansam præbuisse istis insignibus, cum Imperatori ministrans *pavonino muscario* muscas abigeret, jamque *Princeps Anhaltinus* creandus esset. Dedit tamen locus iste seu castrum ab *Esico* conditum Principatu novo & nominis & tituli originem.

Nec novum aut in frequens est, ut principatus nomina sua à domicilio Principis fortiantur.

Redeamus autem è diverticulo in viam & ad *Caroli M.* institutum. Hic tum temporis inter *Saxones* neminem Ducis honore insignivit, præter *VVITEKINDUM*, quem *annales Magnum*, & *filium Gigantum* robustum vocant.

Reliquos in gratiam receptos Comitū & Dynastarum titulo exornatos legimus: inter quos nobilissimus *Beringerus*, *Comes Ascanie* eminuit, Descendebat enim ex antiquissimo stemmate eorum *Dominorum* seu *Illustrium*, ex quibus aliquoties *Ductores Saxonū*, qui vulgò *Reges* vocabantur, certè suprema regiaque potestate instructi erant, belli tempore designati fuerunt. Et laudat *Andreas Knichen*, *IC.* eximius, in sua encyclopædia aliquot scriptores, qui *Berthobaldū*, *Dynastam Ballenstedensē*, *Regē* quoque summo nitu & zelo, tamē, ut idem ipse scribit, absque suffragio veritatis historice, faciunt. Ex quo tamen hoc colligitur, dignitatem *Dynastarum Ballenstedensium* semper, etiam

apud vetustissimos scriptores in magno pretio habitam. Illud obiter addimus, & ante hanc dignitatem *Comitis* illatum fuisse *Principatus Ursini vel Ursinensis* decus in hanc antiquam Familiam. Factum hoc fuit sub *Heraclio Imp.*, cui *Beringerus* in tota familia Ill., in linea verò *Hermanniana I.*, *Beringeri* nostri, Primi *Comitis*, Atavus militaverat. Et quemadmodum *Witekindus* in suo Ducatu, ita *Beringerus* in suo Comitatu, per *Carolinam* concessionem, jura Principum, h. e. sublimem, regalem & territorialem dignitatem atq; jurisdictionem consecutus fuit & exercuit. Et hoc jure supremo utuntur etiam nunc *Celsissimi Posterii*.

§. 8. Non tamen hinc inferendum, per hanc nudam dignitatis collationem ipsum simul omnia bona prius possessa in feudum recognovisse.

Inutilem operam locat *Eclipsis* in illationibus *Manifesti* impugnandis, quæ directis *Historiarum* testimoniis adjuvantur. Stat quoq; utraq; præmissa stante, conclusio, quòd *Comes Imperii* tum temporis creatus *Vasallus* quoque *Imperii* factus fuerit. Adminiculum hujus illationis, ut antea vidimus, duplex erat: *ditionis restitutio* & *novæ dignitatis collatio*.

Nemo unquam, qui temporum istorum conditionem rectè expendit, dubitaverit, *Aribenus Beringeri* ejusq; *Filii* reconciliationem & restitutionem factam fuisse sub lege & conditione aliqua. Tota quippe *Caroli M.* historia ostendit, quòd præcipuum suarum victoriarum fructum in propagandis *Christianorum* sacris & stabiliendo *Germanorum Romano Imperio* collocaverit. Fecit hoc per *Italiam* & *Aquitaniam*, constitutis subinde *Vasallis* sub fidei vinculo: quidni & per *Germaniam* & *Saxoniam*? Ex *Reginone* scribit *Calvisius Chronologus*: *Perrexit itaq; Carolus ad Odacrum, ubi Saxones pacem petunt, &*  
Caro-

*Carolo homagium præstant.* Formulam istius supra J. 6. recitavimus, quam omnes rerum feudalium scriptores de feudali obligatione interpretantur. Sic & ante *Carolus, Meroveorum Regem, Carolo Mani & Pipini* ætate, Duces & Comites constituti fuerunt sub conditione fidei, Inter eos celebratur *Thessalo Bavarus*, qui, accepto Ducis honore, *Pipino* eiusdemq; Filiis fidelitatem promisit. Et de *Carolo Magno* ipso aperte *Heigi- us*, Vir eximius, veritatis antiquæ indagator diligentissimus: *Agnosco*, inquit, in provinciis à *Carolo* devictis *Duces & Vasallos* constitutos, verum eo jure, quo *Vassi & Vasalli* Dominis suis fideles esse debebant. Et iterum: *Posterius Caroli M. Ludovicus & alii* secuti **INSTITUTUM ET MOREM ANTIQUUM** *Vassos* creârunt, & fidelitatem ab iisdem sibi præstari voluerunt etiam illis in locis, ubi iura feudorum non fuerunt exaudita. Facit, quod *Carolus M. Saxones*, teste *Eginhardo*, Francis suis ita adanatos esse voluit, ut unus cum eis populus efficerentur: quæ conditio & paritatem fidei atq; obsequii præsupponit,

Existimat quidem *Eclipsis*, dignitatem *Beringeri* planè nudam fuisse, quæ nihil operari soleat: cujusmodi nudas appellationes nostri cum *Schacchorum* rege comparârunt. Verum satis superq; ostendimus, dignitatem illam nequaquam nudam fuisse, si jura *Imperatoris Victoris, Benefactoris & Domini* intueamur. Nuda quoq; haut fuit respectu *Beringeri & successorum*, quæ personis honoris celsitudinem, terræ verò seu possessioni sublimitatem infudit, Atq; huius intuitu quilibet faciliùs assensit, ut ditioni suæ qualitas feudalis imponeretur. Vnde iterum *Eclipsis* errat, quando illi absolum videtur, hoc modo bona allodii jure possessa in feudum abiisse. Nihil certè frequentius occurrit, præsertim apud devictos, qui vel hac ratione amissa faciliùs recuperabant, vel periclitantia in tuto collocabant, Quin & novæ dignitates tanti æstimabantur, ut alii obligationem feudalem spontè susciperent. Fecit hoc ante *Carolus Magnum Thessalo*: nec desunt alibi ejusmodi bene-

beneficii & gratitudinis argumenta. Quid mirum itaq; , si  
& *Beringerus* duplicis beneficii memor consentit, ut allodi-  
um suum feudi nexu devinctum inter *Imperatorem* & novum  
Comitem perpetuum clementiæ & gratitudinis indicium  
constitueret? Quid quæso olim hodieq; crebrius, quàm ut al-  
lodia etiam sponte, nullâ necessitate urgente, feudali legi &  
conditioni subjecta fuerint?

§. 9. Fallax igitur est assertio, qua *Anhaltini* in principio *Manifesti*  
asserere non dubitant, a *stancia Comitatum* feudi lege statim illo secul-  
lo ad ipsos pervenisse.

*Eclipseos* mediocris aut nulla antiquitatis cognitio, imò  
hecillis quoq; conjectura in perspicuis nondum est tanti mo-  
menti, ut assertio *Manifesti*, rerum gestarum fide publica &  
processu istorum temporum subnixâ, fallax dici debeat. Fal-  
sa fuerunt hætenus *Eclipseis* præsupposita: è contrariò autem  
vera, quæ de inducta feudali qualitate attulimus.

Hac de re ex veterum monumentis scribit *Brotuffius*,  
non contemnendus sui temporis Historicus: Eadem tempesta-  
te Dominus BERING, Dynasta *Harcyniæ*, *Ballenstadii* & *Asca-  
niæ*, primus inter suos baptizatus, & Carolus appellatus fuit. Huic  
Carolus Imperator castrum, civitatem & ditionem ASCANIÆ  
circumfusam, *Ballenstedium* quoq; & terras proprias circa *Harcyni-  
am*, COMITATUS ATQUE FEUDI VEXILLARIS nomi-  
ne, obtulit, ac solenni investitura concessit. Tunc itaq; facti fuerunt  
Comites Imperii, qui jure Principum gaudebant. Absit itaq; ab  
hac illustrissima Familia, ut Viri Principes Historiæ & Anti-  
quitatis monumentis adiuti fallere velle videantur. Longè  
aliis argumentis in hac justissima sua causa instructi sunt, nec  
ulla necessitas eos urget, ut ad dolum & fraudes, seu fallacias,  
arma *Eclipseis* propria, confugiant,

Et quos, quæso, *Anhaltini* Principes fallerent? Scipos?  
rem feudalem dicendo, quæ libera & illis absolutè propria ca-  
gat. At nemo facilè suum sine causa jactare seu profundere

præ,

præsumitur. Et poterant, quod infra §. 23. plenius explicabitur, etiam allodia sua gentilitia contra alienæ cupiditatis injuriam sine feudi subudio defendere. An *Halberstadiensem* Ecclesiam? Ad hanc autem negotium istud nullo modo pertinet, nec hodieq; de jure pertinet. Quid igitur? Sincera Antiquitas & Germana fides illos monuit, ut *servitutem feudalem*, honoratam tamen & illis cum aliis Principibus communem, lubenter agnoscerent. Statui suo minimè decorum judicabant, quicquam *Caroli Magni* beneficio & voluntati, sub aliquo temporis præsidio, detrahere, sub quo libertas allodialis limitationem seu restrictionem passa fuerat.

§ 10. Et quàm erronea sit *Speculi* relatio, *feuda vexillaria* referentis *lib. 3. c. 62.*, quodammodo *Conringius* in *erudito suo tractatu de origin jur. c. 3* perstringit, ac ex *justa observatione temporis* instruit sub *Friderico II.* nonnulla *feuda vexillaria* primum cepisse.

Operæ pretium fuerit, ut ipsum Autorem *Speculi juris Saxonici* audiamus. Ita autem *lib. 3 Landrecht. C. 62.* loquitur: *Septem etiam feuda vexillorum in Saxonia sunt definita, Ducatus Saxonie, Palentia, Marchia Brandenburgensis, Landgraviatus Thuringia, Marchia Misnensis, Marchia Lusatia & Comitatus Ascania.* Verum hinc dici agnoscit *Marquardus Freherus*, magnæ eruditionis Vir, & antiquæ veritatis perscrutator *gnavus & felix*, quando numerum hunc in *suis originibus Palatinis* sequitur. Ante eundem fecit idem *P. Pitheus*, Autor præstantissimus; nec ullus fuit, quantum nos recordari possumus, qui hinc in *Speculo* errorem vel lapsum notaverit. *Glossa* quidem duas obiectiunculas movet; quarum prior est, quòd non septem, sed quatuor tantùm Principes in *Saxonia* reperiantur; posterior, quòd *Ducatus Brunsvicensis & Luneburgensis* omissus deprehendatur. Verùm eadem ad utramq; respondet, & quidem *Comitem Ascania*



seu Principem de *Bernburg vel Anhalt* illis Principibus & Vassallis annumerat. Deinde Ducem *Brunsvicensem* appellatione Ducis *Saxoniae* comprehensum fuisse scribit: qua de re paulò post pluribus,

Ait tamen *Eclipsis*, erroneam illam relationem perstringi à *Conringio*, Eruditus certe est Viri hujus, rerum Germanicarum Periti, tractatus, quem nobis de juris origine exhibuit. Notat quoq; in ejusdem *cap. 30* nonnullos *speculi* lapsus ab aliis itidem observatos, de quibus hîc agere non est nostri instituti. Hinc autem statim pro more suo argumentatur *Eclipsis*: *Erravit hic & ibi speculum, Ergo erravit semper: Ergo erronea est vexillarium feudorum enarratio. Ergo erravit circa Ascaniam.* Sed quis non deprehendit *Eclipseos* turpem errorem Logicum? Et quidem *Hermannus Conringius* ab errore in numero feudorum perstringendo ad eò alienus est, ut vel per istam *speculi* enarrationem probet, libros istos *juris Saxonici* circa A. C. 1230. conscriptos, nec multum recentiores esse. Ratio est, quia nimirum Autor *speculi Ducatus Brunsvicensis* nullam mentionem fecerat: hic enim demum A. C. 1235. sub *Fridrico II. Imp.* ratione dignitatis novæ prodiit. Antehac bona ista, seu dominia, feuda quoq; Imperii erant sub Ducum *Saxoniae* nomine atque titulo. Tandem res eò deducebatur, ut *Otto*, abdicato hoc honore, novus *Brunsvicensium & Luneburgerium* Dux crearetur, & *Bernhardi* Electoris Posteris soli. Duces *Saxoniae* audirent. Ex his abundè apparet, qua fide *Eclipsis* agat in suis allegationibus. Aut frontem non habuit, aut ne semel quidem inspexit vel *Conringium*, vel temporis istius historiam, cum hæc de erronea relatione circa Comitatum *Ascania* scriberet. Quomodo enim potuisset tam gravem errorem Autori *speculi* imputare, qui *Saxo*, & *Comitis Hoyeri de Falckenstein* Consiliarius erat? Supputatio temporis & ratio officii à Viro isto innocenti omnem erroris opinionem procul removet. Nam vixit *Eckardus à Repkau* inter confinia seculi

li Christiani duodecimi & decimi tertij, illo ipso tempore, quo *Henricus Ascania Comes Princeps Anhaltinus* nuncupatus fuerat. Hic *Hoyerum Falckensteinensem* coetaneum, & in castris *Ostonis IV.* contra *Fridericum II.* commilitonem, *Vasallum* quoque primarium & maximè *ASCANIÆ* suæ vicinum habuit; ut proinde vicini, vasalli, commilitonis & coetanei *Consiliarius* conditionem & qualitatem adjacentis *Comitatus Ascaniensis* exactissimè scivisse meritò credatur.

Alter *Eclipsis* error in hoc §. æquè gravis est, quando iterum è *Conringio* tradit, nonnulla feuda vexillaria prius sub *Friderico II.* cœpisse. Videtur nimirum *Eclipsi*, hoc modo error *speculi*, præsertim circa *Comitatus Ascanie*, optimè demonstrari posse, si demum sub *Friderico II.* vexillaria cœpisse dicantur. Sed hoc argumentum *Eclipsis* est si non peioris, certè cum superiori ejusdem notæ & ponderis.

Dicit *Conringius*, quòd in enarratione feudorum vexillarium *Ducatus Brunsvicensis* & *Luneburgensis* silentio prætereatur, quia hic demum *Fridericum II.* Imp. autorem habuit. At quis hinc ita concludet: Ergo feuda vexillaria ante illum fuerunt incognita? Ergo sub hoc Imperatore demum cœperunt? Ergo error est, quod de vexillari feudo *Comitatus Ascaniensis* adducitur. Quis tutus erit à culpa lapsus, si contra eum hoc modo insurgere possumus?

Hoc certè est, injuriam insignem facere *Autori doctissimo*, qui & de solo isto Ducatu agit, & *Ascaniensi Comitatu* nihil detrahit, cui autem absurda ista conclusio & opinio nunquam in mentem venit. Ignoscat nobis *Eclipsis*, quòd huic rei aliquantulum immoramur, ut error ejus rectius conspiciat. In feudo vexillari vel nomen, vel res ipsa, vel modus rei seu insignia considerantur.

Nomen quod attinet, legimus in hujus *Anhaltine* Familie historia, quod *Walterius* quidam, *Comes Castrensis* & *Vexillorum*, *Bendellam Aribonis I.* Filiam circa *A. C. 672.* uxorem duxerit.

dixerit. Sic *Godofridus Comes Palatini Rheni* septem principalia beneficia, quæ *Santlehen* appellantur, morte septem nobilissimorum Ecclesiæ *Laurishamensis* fidelium à *Bennone* Abbate obtinuit: quæ postea sub *Henrico IV. Imp.* ad generum illius *Welphonem* teste *Huberto Thoma Leodio*, pervenerunt. Nomen itaq; vexillaris dignitatis (atq; feudi (de re ipsa hic non, sed in sequenti membro, agitur) ante *Fridericum II. Imp.* auditum fuit.

De re ipsa, quod sc. feuda vexillaria ante istum Imperatorem existerint, minus dubitatur. Duo præcipue ad veram illorum, quatenus propriè accipiuntur, constitutionem Icti requirunt. Alterum est, ut feudum à solo supremo Principe conferatur. Alterum, ut cum collatione Regalis dignitas, sublimè jus ac inde veniens titulus ad accipientem transeat. Taliæ autem feuda diu ante *Fridericum II.* imò *Caroli M. 2vo* fuisse, nemo unquam negaverit. Et quidem Comitatus *Ascaniensis* hæc à primis incunabulis accepta, & usq; ad tempus litis conservata dignitas adeò sancta & cara fuit *Bernhardo II. Anhaltino*, ut vel propterea oblata Fratri *Episcopi Quedlinburgica* penitus respueret. Ostentabat Frater litis finem, si ille huius Comitatus nomine, vel saltem aliquarum pertinentiarum intuitu, inter Ecclesiæ Vasallos scriberetur. In hanc conditionem iniquissimã *Bernhardus* descendere nec voluit nec potuit. Non voluit: ne homicida suæ dignitatis existeret. Nam

*Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ:*

& apex honoris est inter Principes, sublimia jura possidere, & exercere solius Imperatoris beneficio, qui meritò omnis dignitatis & superioritatis Fons celebratur. Et ex hoc præcipuo fundamento est & dicitur feudum vexillare, etiamsi investituram insigne vexilli haut comiteretur: Non potuit etiam: ne sacrilegium adversus supremum Principem committeret. Vasalli siquidem fidelis est, omnem curam eò intendere, ut feudi status integer custodiatur. Ac cœperat tum tem-  
poris

poris multis, nonnullis quoque Ecclesiis, trita via esse, invadere, ad se trahere, vel saltem debilitare feuda imperii. Unde *Bernhardus* omni jure postulata Fratris rejecit, ne conditione feudi imperialis duplici nomine deteriorem redderet. Ecclesia siquidem, respectu potestatis secularis, habetur pro potentiore, et potest se Imperio facilius subducere. Ecclesia iterum nunquam moritur, adeoque nulla spes superest, ut ullo unquam tempore ab eadem feudum ad Imperium revertatur.

*Modum rei seu insignia* quod concernit, usus vexillorum utique longè vetustior est investituris, quàm ut *Friderico II.* suum initium debeat. *Otto Frisingensis, Henrici IV.* ex Filia *Nepos, Conradi III. Frater & Friderici I. Patruus*, qui ea ipsa ætate vixit, testatur, quòd gladius Regni, vexillum autem provincie traditionem in eiusmodi solenni actu denotaverit. Cui ad stipulatur *Guntherus* in nobili isto actu, cum *Fridericus I. Imp. Guidonem & Petrum Danos* opera sua reconciliatos investiret.

Ita autem canit:

*Ergo ubi vexilli partem, quam diximus, ille  
Hic autem gladio Regnum suscepit ab isto,  
Hunc etenim longo servatum tempore morem  
Curia nostra tenet.*

Dicit morem istum *longo tempore observatum*, quòd procul omni dubio superioribus quoque seculis viguerat. Et videntur ab hoc ipso investiendi more *Comitatus Ascaniensis* insignia descendisse, vexilla scilicet duodecim galce *Ascaniensi* Coronatæ imposita, Exæquant hunc numerum tot subfeuda præcipua *Comitum Ascaniensium*, quæ in catalago sublit. D. infra recensentur. Quemadmodum autem acquisitio feudi per vexillum denotata fuit: ita coram antiquitate resignatio quoque investiturarum per vexillum expedita legitur.

Sed quid si credamus, feuda vexillaria demum sub *Friderico II. Imp.*, coepisse? Ne sic quidem Comitatus *Ascaniensis* à qualitate & dignitate ista excludi potest; nec Autor *speculi*, qui sub *Friderico II.* vixit & scripsit, rectè erroris convincitur: multò minùs opinio de *Ascaniensis* allodio, quod diu post, *Ottonis* tempore, existisse debet, defenditur. Revocentur modò dicta *Eclipsis* ad formam syllogisticam, & res expedita erit, si *Friderici II.* & *Ottonis Anhaltini Henrici E.* tempora simul conferantur.

S. 11. Nec quod allodii jure ad sedem Episcopalem per multa secula pertinuit, ac ad eam legitime ad transferendum dominium habiliti titulo translatum.

Jam demum, si pario sublato, scena ostenditur, cui omnis præcedens apparatus inservire debeat. Nimirum, juxta *Eclipsin*, Comitatus *Ascania* allodii jure ad Episcopalem sedem pertinuit: Quando autem & quomodo pertinere coepit? De hoc ne gry quidem adduci potest. De hoc quoq; apud *Albertum II. Episcopum Halberstadiensem*, aliquoties hoc nomine ab Imperatore *lit. E. n. 1. 2. 3. 4.* monitum, altissimum silentium fuit. Nec habuit unquam quippiam aliud, quod de jure sedis suæ etiam indulgentibus & sibi obnoxiiis responderet, nisi illud: *Quia ad Ecclesiam pertinet.* Prædonis apud *Ulpianum* hæc responsio est, qui interrogatus, cur possideret, respondebat: *quia possideo.* Verum omnino sic erit *Pomponii I.C.* effatum: *Verbum Pertinere latissimè patet.* Sed *Eclipsis* non acquiescit in læti extensione *l. 181. D. de U. S.* posita: longè ulterius vagatur & ea quoq; ad Ecclesiam suam pertinere vult, quæ nullo juris colore pertinere poterant.

Addit tamen: *per multa secula.* Aut tempus *Ottoniani* obitus inspicitur, quod & fieri debebat, & tunc nulla secula, imò nulli dies numerari possunt, ex quibus Comitatus *Ascania* ad Ecclesiam pertinuerit, Aut consideratur præsens tempus

pus, ac iterum rectè negatur, quòd per ullum tempus vel per  
 multa secula ad sedem pertinuerit. Neq; enim ad nos pertine-  
 re dicitur, quod innocentibus per vim, & prohibentibus Im-  
 peratoribus, eripuimus.

Quod porro *Eclipsis* de allodio spargit, fulgur ex pelvis  
 est, ejusq; falsitatem supra ex antiquis monumentis verisq;  
 historiis ostendimus. Quod autem de translatione, & titulo  
 legitimo ac habili additur, iterum fallum esse infra S. 23. do-  
 cebimus.

S. 12. *Ob id effluxis tot temporum curricula.*

Negatio feudi, assertio allodii & translatio jactata, im-  
 becillia tantæ molitionis fulcra, vacillare & *Eclipsi* suspecta  
 esse incipiunt. Quare ad temporis privilegium se recipit. Qua  
 fronte & qua conscientia, quo etiam successu, Ecclesia Halber-  
 stadiensis ipsa, animarum custos & bona fidei acerrima tutrix (ta-  
 lis enim esse debebat) viderit. Paganis quoq; ignotum haut  
 erat, appetitum eorum, qui sacra, quamvis falsa, peragebant,  
 arctioribus limitibus circumscribi, & à templis abigendam  
 esse res alienas habendi cupiditatem. Multò magis & rectius  
 apud Christianos Ecclesia audit *cultrix* & *auctrix justitiae*. His  
 Ecclesia adeò pura est, ut in omnibus suis actibus nullam fraudem  
 adhibere credatur. Presumitur potius nihil nisi bonum posse: velle  
 omnibus prodesse, nocere nemini, nihilq; nisi bonum appetere. Et, ut  
 paucis omnia absolvamus, Clericis & Prælati vel maximè  
 morum & adfectuum sanctimonia, continentia quoq; injun-  
 gitur. Unde non immeritò *Eclipsin* cum Imperatoribus istis,  
 verbis paululùm mutatis, alloquimur. *Professio tua Ecclesia &*  
*desiderium vel eius, vel tuum inter se discrepant: nam cum Ecclesi-*  
*am illam esse proponas, vinci tamen eam ostendis avaritia & rapa-*  
*citae. Nam elapsa (rectius quàm effluxa) temporum curricula,*  
*versutum jus præscriptionum, suffragium temporis, prolixitas tem-*  
*poris & impium temporis præsidium Ecclesiam simplicem & pi-*

am æque dedecent, atq; in Philosopho avaritia & rapacitas im-  
 probatur. Et nihil magis indecorū esse potest, quàm si Ecclesia  
 temporis circumventioni innitatur, non naturali, quæ tam en-  
 & ipsa suos reprehensores habet, sed quam jus civile invenit.  
 In feudo quoq; regali *S. Rom. Imperii*, & in tali causa quæ per o-  
 mnia ista temporū curricula in terminis merè executivis sub-  
 stitit, nullasq; exceptiones admittit, quæ vel longiorem inda-  
 ginem, vel solennem probationem requirunt. Interea *illa*  
*temporum curricula*, in quorum lapsu *Eclipsis* suum pedem fige-  
 re conatur, illustre documentum exhibent, quo animo Ec-  
 clesia in supremum Magistratum & Familiam *Anhaltinam* fue-  
 rit. Pertinaciam ostendunt insignem, quam tot jussiones &  
 mandata ante tot secula & per tot secula pervincere haut po-  
 tuerunt. Quid autem in specie de hoc temporis adminiculo  
 & quidem in hac causa statuendum sit, infra §. 45. fusiùs expli-  
 cabitur.

§. 13. *Moderni Principes judicium vindicatorium institueri  
 valent.*

Novam litem non ordiuntur moderni Principes, nec rei  
 vindicationem instituire incipiunt. Litis ante tria secula  
 inchoatæ ac finitæ executionem petunt; imo hanc, tum tem-  
 poris decretam, jussam & scripto publico contra armatos fru-  
 stra factam fortiùs nunc demum repetendam censent. Idq;  
 intolerabilis adversæ partis obstinatio & jura ipsa urgent ac  
 volunt. Nec existimet quis, Principes *Anhaltinos* hoc per sal-  
 tū & post longa intervalla facere. Prolixa & non interrupta se-  
 ries in §. 22. 29. 67, & alibi ostendit, quòd illis de vera ac de-  
 bita diligentia sollicitis Ecclesia omnem suam operam in su-  
 perba & continua elusione locaverit.

§. 14. *Quod nihil aliud esset, ut Itali Doctores loquantur, quàm re-  
 vangare mundum, contingereq; posset, si omnia vellemus ad principia  
 sua reducere, ut nobis ad casas rusticas redeundum*

**Barbarum hoc Doctorum dictorium, de cuius origine &**

**VERO**

vero sensu, licet sit in ore multorum, non immeritò quis dubitaverit, malè ad causam *Ascanensem* trahitur. Quis enim unquam dixerit, hoc esse *mundum revangare*, si quis jure suo utatur, & sua repetat. Non hodie vel heri, post tantum temporis intervallum, causa ista in scenam producitur. Diu agitata fuit, & quidem per crebras Cleri elusiones protracta; sed nequaquam abolita & planè sepulta. Rectius dicimus, hoc esse *mundum revangare*, turbare, invertere, confunderc & summa imis miscere, si quis violentiæ & detentionis suæ fructu injusto diutiùs gaudere debeat, & infirmiorum justitia potentiorum invictæ violentiæ succumbere jubeatur. Fortean ideo *Eclipsis revangationem* (barbaro vocabulo barbarè utimur) pertimescit, quia Ecclesia parata est jussionibus & executionibus suis, ut antea, ita in posterum quoq; arma opponere: Sed arma violenta; adfulgente universali pace, jubentur quiescere, legibus in pristinum vigorem repubescentibus. Vivunt Actores & Rei in una eademq; republica, sub eodem Magistratu, ubi jus in invitos quoq; redditur: idq; è sacrosanctæ justitiæ dictamine; non ad gladii vel belli imperium. Alia ratio est earum partium, quæ nullum aliud, nisi gentium jus commune, agnoscunt, & superiorem nesciunt. His jus ac bonum publicum in causis diu dubiis & inveteratis, nonnunquam etiam manifestè injustis, faciliùs indulget, quoniam hoc publica utilitate rependi solet. Alia verò concivium, quibus illud tantùm justum & rectum est, quod superior juxta leges mutuo consensu receptas pronunciat. In causis fori Ratio status dominari haut debet, nec possunt illis dictæria ista tutò adplicari, quæ ad scholam *Rationis status* pertinent. Pessimè hic cum justitia agitur, si ideo periclitari debeat, ne *mundum revangare* velle videamur. Rectius & justius ita: *Fiat justitia, & pereat mundus.*

His & illud addendum est, quòd Doctorem dictæria non ita crudè, ut *Eclipsis* putat, & pro lubitu, sed juxta leges vel ra-



tiones allegatas accipi debeant. Videamus autem rationes Baldi, qui in vol. 5. cons. 456. isto dicto utitur, & de imitatione Eclipsis rectius sentire poterimus. Hærebat Baldo ibidem aqua, & textibus ac veris rationibus destitutus hinc aliquid præsidii latitare putabat: non tamen sine ratione adjecta: Hæc talis erat: *Si contrarium dicerem, incurrerem in odium dominarum: scilicet concubinarum: Et frustra niti, nec aliud se fatigando, quàm odium, querere, extrema dementia est.* Tandem erumpit in ista verba: *Et ego non essem istius consilii, quòd vellem revangare mundum.* Idem Eclipsi in mentem venisse videtur. Nihil solidi juris, nulla quoque recta & vera ratio occurrit, cui Ecclesiæ causa tutò committi queat. Metuit tamen Eclipsis ejus odium, nisi quovis modo Clero suo subveniat. Itaque verba sufficere putat qualiacumque, quando jura vel rationes non sunt in promptu: modò ne frustra nitendo odium querere & extremæ dementiæ insimulari velle videatur. Dignæ sunt profectò hæc ratiunculæ, quæ in causa Cleri adhibeantur: dignum autem Baldi dictum, quod, malis tantum causis inter privatos natum factumque, è schola justitiæ procul facessere & exulare jubeatur.

Eclipsis adhuc aliud, *casas* nimirum *rusticas*, reformidat, si causa *Ascaniensis* ad sua principia reducenda fuerit. Sed iterum communi isto verbo abutitur, quod *Carneadi* apud *Ciceronem* adscribitur. Eius sententia erat, *redeundum esse populo Romano ad casas, si justitia observanda esset: revocatis nimirum ad Veros Dominos & Possessores bonis & provinciis.* An penes *Rationē Statu*, seu de *statu publico*, hæc sententia obtinere debeat vel possit, aliis disquirendum relinquimus. Interim certo certius scimus, eam damnari nec posse, nec debere inter concives, in foro, & in causis ad officium justitiæ privatæ spectantibus. Multò minùs in causa *Ascaniensis*, ubi standum est rebus judicatis, jussionibus *Cæsareis*, & executionibus, quamvis parti adversæ casæ, aut si quid vilius dici potest, metuendæ fuerint, Inge-

nua quidem est *Eclipseos confessio*: Halberstadiensis sc. sedi bene esse non posse, si iustitia observari debeat. Repetit hoc modo querelam majorum, qui coram *Cesareis Commissariis Monasterii Westphalorum* d. 21. Novemb. 1569. deploratam suam causam ita deplorabant: *Comitatum ASCANIÆ* eiusq. pertinentias constituere *Episcopatus* partem primam & optimam, fore, ut ablata restituere iussi in summas angustias redigantur: Sibi isto casu ne liberum quidem exitum patere e suo oppido. Imò illis hanc necessitatem imminere, ut unde quaq. ferè territorium *Anhaltinum* transferre cogantur.

Insignem apud veteres & nostram *Eclipsin* spoli committendi causam! *Iustitiæ* ideo porro remoræ injiciendæ sunt, ut spoliator metu calarum & angustiarum liberetur. Sed quis barbarus etiam ejusmodi homines propitiis auribus audierit? Ob talem causam spolium nec jure committitur, nec rectè defenditur. Neque expenditur in jure dicundo, qualem fortunam habere lædenti expediat: sed qualesus gaudere debeat. Sed nec iniquum fuerit, aut damnosum, si, reddito spolio, quo fines suos dilatavit contractiora Maiorum vestigia sequatur *Ecclesia*. *Davidem* audiat *Psalms. 37. v. 16. 17.*: *Bonum est parum cuiq. iusto, plus quàm copia sua improbis multis. Nam brachia improborum confringuntur: sustinet autem iustos J E H O V A.* Malum utiq. *Eclipseos* consilium est, quæ tutius putat suæ *Ecclesiæ*, conscientiam ipsam decoquere, quàm ob alicuius decrementi metum aliena veris Dominis restituere. Quanquam nè sic quidem *Ecclesia* habeat, quòd de metu calarum conqueratur. Abundat enim, excepto quoque & ad suos redeunte *Comitatu Ascania*, opulentis redditibus, qui non modò necessitati, verùm etiam voluptati sufficere possunt.

Ex his satis superq. constat, quid statuendum sit de *Eclipsis* barbara revangatione & casis: quibus hoc tantum denuò subiicimus, malè actum iri cum iustitia, si eius de-

definitiones è scrinio *Eclipseos* peti debeant. Quibus enim regulis publicæ utilitatis ratio colorem aliquem, quamvis haut per omnia bonum, conciliare potest: illæ perperam ab *Eclipse* obtorto quasi collo in jus vocantur, h. e., forensibus privatorum negotiis adplicantur. In regnis potest aliquid etiam *Vis* interacquirendi vel amittendi modos, ne iterum res cum majori reipub. tumultu & detrimento ad sua principia reducatur. In foro contrà nulla est violentiæ, omnis autem incorruptæ justitiæ autoritas. Huius quoq; præcipua lex est, definire negotia è veris suis, primis & solidis principiis, utq; res in eum statum reponatur, quo per vim aliumvé illegitimum modum exturbata fuerat: nullo respectu potentiæ vel infirmitatis habito.

S. 15. *Sit ita, aliquando emortuam & extinctam familiam Comitum Ascaniæ.*

Hactenus de asserenda qualitate allodiali anxie, frustra tamen *Eclipseis* laboravit: Nunc Comitum *Ascaniæ* familiam emortuam & extinctam fingit, ut ostentatæ translationi viam muniat & cætera *Manifesti* argumenta facilius enervare possit. Quo conatu & successu, hic & in sequentibus videbimus.

Et Primò quidem nullum est dubium, quin *Henricus*, Primus Princeps *Anhaltinus*, Comes etiam *Ascaniæ* fuerit, juraq; sua, dignitates & titulos cum omnibus ditionibus ad tres seculares suos Filios, *Bernhardum I. Sigefridum & Ottonem* transmiserit. Horum natu minimus, *Otto*, Possessor *ASCANIÆ* sine sobole mascula diem suum obiit: de cuius terris *Bernhardus II. Laicus & Albertus*, Halberstadiensis Episcopus, Fratres, decertarunt. Ut autem Ecclesiæ cupiditati prætextus concilietur, fingit nostra *Eclipseis*, cum isto *Ottone*, Filio *Henrici*, exspirasse statim integram Familiam Comitum *Ascaniæ*. Quo figmento nihil absurdius, nihil putidius afferri potuit. Repugnat enim recta ratio, & rerum gestarum, publicorum quoque

docu

documentorum fides. Diu viguerat *Ascaniorum* Comitum nomen à *Beringeri* tempore, usq; ad *Henrici* excessum, ut tabulæ Genealogicæ lit B. & C. indicant. Et adeò infelix fuit factum successorum *Henrici*, ut nomen gentilitium & dignitas primæva avito patrimonio imposita statim in primo gradu interierit? Imò verò ab omni verisimilitudine longissimè abit, eò usq; degeneres fuisse *Henrici* Filios, & tam cara ac delicata Majorum præmia, per tot generationes, nulla divisione obstante, ad omnes successores propagata tam subito evalescere potuisse. Apud *Ottonem* quidem natu minimum, ut axioma Principis nuper à Parente felicibus auspiciis partum, abiiceret, contentus solo titulo *Comitis Ascanie*. Iterum apud *Bernhardum* & *Sigefridum*, ut nomen *Ascanii* *Comitis*, characterem illum antiquissimæ juxta ac nobilissimæ originis expungerent. Et quidem in feudo vexillari Imperii, quod à Parente acceptum ad omnes mutuo & simultaneo jure spectare noverant.

Videtur *Eclipsis* secuta *Halberstadienses* suos, qui olim figmento huic aliquem colorem à moribus Veterum foenerari conabantur. *Evo* isti, dicebant, non infrequens fuit, ut *Fratres*, facta divisione, singuli singulas & plane separatas Familias constituerent. Factum id fuisse apud *Brandenburgensem*, *Saxoniam* & *Anhaltinam*, ab uno quidem stipite communi descendentes, diversas tamen, & tam nomine, quàm insignibus distinctas Familias. Sed probè notanda est ingens illa & insignis ratio discrepantiæ. Cum novis istis dignitatibus utriusq; Electoratus tot quoque & tam amplarum ditionum accessio obveniebat Electoribus, ut condendæ peculiari Familix abundè sufficeret. Venerant præterea ibi in divisionem non modò terræ, sed etiam tituli & insignia. Neutrum de *Comitatu Ascaniensi* dici potest. Hic cum cæteris ditionibus & ante *Henrici* tempora non semper fuit coniunctus, receptis in ista Familia frequentibus divisionibus. Migravit tamen titulus & nomen *Comitis*

*Ascaniensis* subinde ad eos quoq; , qui alias terræ portiones consecuti erant, vocabanturq; omnes *Dividentes Comites Ascanii*: Idem & *Henrici* Filiis in sua divisione placuit, quam, præter solas ditiones, nec nomina, nec insignia ingressa fuerant. Omnes enim audiebant *Principes Anhaltini, Comites Ascania, Domini Bernburgi, Serveste* titulum sequens tempus adjecit. Omnes utebantur integris armis & insignibus *Gentilitiis*. Et quidem *Ascaniense* axioma tam parenti *Henrico*, quam Filiis ejus & posteris, ob venerandam antiquitatem, adeo Sanctum erat, ut tum temporis in publicis scripturis sedem Principem & quidem dignitate Principatus potiore obtinuerit. Qui mos scribendi, sæpius quoq; Principis titulo omisso & solo *Comitis Ascanii* titulo retento, ad posteros etiam transit, & vix ante seculum, & quod excurrit, desit. Deniq; quod *Familia Comitum Ascania*, etiam post *Otonis* obitum, in cæteris *Henrici* Posteris floruerit, testatur *Glossa Speculi*, quæ *Comitatum Ascania, feudum illud Imperii vexillare Familix Principis ab Anhalt seu Bernburg* adsignat.

Quòd eadem adhuc hodie, quantum per bellum licet, invita & frustra obstrepente *Eclipsi*, supersit & vigeat, testantur creberrimæ appellationes, Imperatori, Regibus, omnibusq; summis, mediocribus & imistam in *Romano Imperio* quàm extra illud notæ & usurpatæ. Nec poterit *Eclipseos* invidia in odium *Principum Anhaltinorum* illud argumenti genus interimere, quod frequenter, utiliter & fortiter, ut omnes *Doctores* sentiunt, à nomine ducitur. Ita enim illi: *Retentione nominis ad retentionem rei rectè & fortiter arguitur: Rei qualitas atq; effectus è nomine cognoscitur. Imprimis in antiquis antiquæ appellationes & nomina dignitatum argumentum validum constituunt: validissimum autem tunc, quando tam Agnationis, quàm Ditionis nomen, ut in nostro casu, concurrat.* His & aliis argumentis pro *Familia Ascaniensi* hodieq; superstitè militantibus, nuda verba ad eam extinguendam

nun

§. 15, 16.

§§

nunquam sufficient. Et ostendat *Eclipsis*, si potest, ullum apud probatos Scriptores vestigium, quod *Comitum Ascaniorum* nomen catalogo earum *Familiarum*, quæ per *Saxoniam* extindæ fuerunt, unquam inseruerint. Nos autem DEUM OPT. MAXIM. rogamus, ut, Ipso jubente & benedicente, *Familia Anhaltina seu Ascania* semper vivat & vigeat, recuperatis tandem avitis suæ **ASCANIAE SUIQUE COMITATUS** sedibus & bonis, quæ huc pertinent!

§. 16. *Aulam suam instituisse, ac insignia eorum quondam affixa in nonnullis locis fuisse.*

*Manifestum Ascaniense* urget inter alia & argumentum ab *aula & insignibus* sumtum: idque rectissime, ut mox videbimus. Nam antè, quam hinc *Eclipsi* respondeamus, non abs re, neque injucundum erit, si paucula de appellatione *Ascania, Ascherleben* præmittamus: id quod & loci antiquitas & dignitas postulare videtur.

*Ascaniorum* seu *Gentis Ascania*, adeoque nostræ etiam *Ascania* nomen multi altiùs ab *Ascenas* repetunt, qui apud suos sacri ignis Custos & interpretes juris divini humanique celebratur. Rem illam non nostris, sed Historici *Elie Reusneri* verbis ita exponimus: *Ascania Gens nobilissima & vetustissima, quemadmodum historiarum monumenta testantur, originem suam deducit ab Ascana, Filio Comeri, Nepote Japeti, Pronepote Noë Patriarchæ: Custode sacri ignis, hoc est, religionis & doctrinæ, (unde & nomen ipsi inditum est consentaneum) qui cultuum profanorum fugiens idolomaniam, quæ Orientem cum tyrannica quadam sevitia invaserat, ex solo natali, quod supra Phrygiam in Bithynia versus Cimmericum Bosphorum ad Ascaniam paludem fuit, sociis Caycis & Cimbris, in Septentrionis plagas migravit: & Caycis quidem mediterranea, Cimmericis verò maritima occupantibus, ipse sedem*

ac de-

ac domicilium suum ad nemus *Harcynium* transtulit: ubi inter tot rerum humanarum vicissitudines, imperiorum ruinas, multiplicesq; conversiones, posterius eius *Ascanii*, à primo ipsorum adventu in hunc usq; diem, soli & nomen & sedes retinuerunt primas. Effuderunt quidem se postea *Vandali*, *Sorabi* aliq; in has terras, & in unum corpus cum indigenis coaluerunt, ita tamen, ut *Ascanie* gentis nomen ac vestigia passim observarentur. Quemadmodum superioribus quoq; seculis hodieq; in hoc tractu nomina propria frequentata reperimus: *Ascanius*; *Asche*; *Esche*; *Esicho* vel *Esicus*. A gente illa *Ascania*, vel à viro primario istius urbem *Ascaniam*, *Utscherleben*/nomen suum accepisse, valde est verosimile. Nam & alibi & in nostra *Germania* nihil est frequentius, quàm urbem alicuius districtus principem vel populi ipsius, vel præcipue ex populo nomine seu appellatione insigniri. Videturq; *Ascania*, seu *Utscherleben*/dicta quasi *Ascaniorum* vel etiam cuiusdam *Primatis Ascanii* vel *Ascarii* curia seu domicilium. Quemadmodum enim alibi terminationes locorum in *heim*/burg/dorf/hof/hofen/haus/stet/incolas vel incolarum hospitium seu domicilium denotant; ita illud ipsum in hoc loco per terminationem *Lebe*/Leube/Laube/(quæ *scenam*, primis illis temporibus, cum sylvæ adhuc habitarentur, usitatissimam, postea cultiori seculo manente veteri appellatione, tabernaculum, sedem, curiam significabat,) indicatur. Nec ulla frequentior terminatio ibi & in vicinia occurrit, tam in urbium & oppidorum, quàm vicorum, pagorū, cœnobiorum & castrorum appellationibus.

Huius antiquissimæ sedis heres ac dominus erat *Aribo-Beringerus*, cuius aliquoties mentionem fecimus. Illum *Gryphonis Franci* socium *Pipinus*, fratrem bello persecutus, hoc ipso in loco obsessum cepit ac in *Gallias* abduxit. Diruebatur ab eodem castrum funditus: quod *Albertus II. Ascanius A. C. 862.* reparavit. *Esicus* verò *IV. Henrici Principis Anbaltini A. ravus*, absolvit. Exscindebatur iterum ab *Henricis Superbo ac Leone,*

Leone, eorumq; sociis. Restaurationi manus admoverunt diverso tempore, & vario successu, *Otto Dives; Albertus Ursus; Bernhardus Saxo & Henricus Anhaltinus*. Et ab hoc frequentius habitari coepit, Erat quoq; *Ottonis* Filii sedes primaria; quam deinde, Patruo defuncto, sibi quoq; *Bernhardus II.* delegit, cum jam cupiditas *Halberstadiensium* flammam minaretur.

Hæc & alia *Eclipsi* nostræ adeò sordent, ut nullius operationis esse videantur in probationis materia. Aliter cordati Icti sentiunt, qui duplici titulo ex jure gentium, occupatione scilicet & edificatione, Principes modernos tutos credunt, & veros istorum locorū Dominos pronuntiant. Faciunt pro hac causa trita illa, sed vera: *Quilibet non in alieno, sed in suo edificare intelligitur. Quilibet itidem in sua potius, non in conductâ vel precaria domo habitare creditur. Ex loci inhabitatione possessio juris colligitur: & per inhabitationem non modò possessio probatur, sed jus quoque possidentis & dominium.* Hæc si vera sunt (uti certè sunt) de maioribus, *Aribone-Beringero, Alberto II., Esico IV., Ottone Divate, Alberto Urso, Bernharo Saxone & Henrico Anhaltino*; utiq; de Eorundem veris Posteris & modernis Principibus falsa esse nequeunt. Obiit hic & ille intermedius sine masculis: non tamen ideo tota familia exspiravit.

Sequuntur insignia Comitatus *Ascanii*: nimirum duodecim vexilla nigri albiq; coloris, coronatam galeam decorantia, & scutum tessellatum, iterum nigro candidoq; colore variegatum. Hæc visa fuerunt superioribus seculis in multis vicis, pagis templis, oppidis. in ipsa quoq; arce & sede Episcopali *Gröningen*. Atq; hunc locum ad Comitatum *Ascanie* pertinuisse vel exinde colligas, quòd *Cunradus Magdeburgensis, Henricorum Socius*, eundem non minus, quàm cætera *Ascaniorum* castra *Anhalt, Plätzke, Witke, Webelitz, Bernburg, Ascaniam* aliaq; diruit. Erat enim *Ascaniorum* hostis ex federe, Recuperavit istam arcem aliquando *Bernhardus III.*, quam *Albertus II.* Episcopus diu, frustra tamen, tunc temporis oppugnabat.



Sed *Eclipsi* æquè facile est, argumentum hoc ab insigni-  
 bus petitum elidere, atq; vulpes pyrum comest. QUONDAM,  
 inquit, affixa fuerunt insignia. Quid tum? *Anhaltini* tamen, non  
 Clerici, erant illorum locorum Domini: nec potuit destru-  
 ctio insignium vel violenta vel clandestina Principibus anti-  
 quum & verum dominium eripere, aut etiam Clero justam  
 possidendi causam tribuere. Quid? quèd hodieq; insignia  
 illa apud civitatem *Ascaniam* in porta, curia, telonio: iterum  
 apud oppidum *Wegeleben*, in porta & vexillo publicè conspi-  
 ciantur. Nihil itaq; nobis limitatio ista *Eclipseos*, *Quondam*, of-  
 ficit. Quia etenim quondam, concedente hoc *Eclipsi*, affixa  
 fuerunt, ac etiam nunc, teste oculari inspectione, in locis istis  
 videntibus occurrunt: nullum superest dubium, quin isto-  
 rum locorum dominia ad Principes *Anhaltinos* spectaverint,  
 spectentq; adhuc hodie.

Ita enim lcti: *Insignia sunt & vocantur superioritatis, do-*  
*minii, possessionis symbola, tesserae, Τετυρηια Res dignoscitur eius es-*  
*se, cuius signo est notata: & cui signum, eidem quoq; signatum com-*  
*petit. Arguitur quis illius loci dominus esse, cuius ipse insigni utitur.*  
*Et rursum civitas subiicitur superioritati illius domini, cuius insi-*  
*gnia portis suis, curiis, aliis vè locis publicis vel præfigit, vel præfigi*  
*patitur. Probant enim subjectionem & superioritatem correlativè.*  
*In antiquis probantur per signa, notas & sculpturas fines dominio-*  
*rum & diocesum. Imò ejusmodi signa, nota & sculptura plenè*  
*probant & notorium inducunt, cum de antiquo factò agitur. Ex hoc*  
*loco argumentabatur Servator ipse, Ipsa veritas, cum adver-*  
*rios suos confunderet. Ostendite, dicebat hypocritis, mibi de-*  
*narium, cuius imaginem habet & inscriptionem? Et respondentes*  
*dixerunt: Cesaris. Dixit illis: Reddite ergo, quæ sunt Cesaris, Ces-*  
*sari: & quæ sunt DEI, DEO. Hæc probandi facultas, quæ com-*  
*muniter insignibus tribuitur, facit inter alia, ut, quamvis in-*  
*signia sibi fingere concessum sit, illa tamen nemini usurpare*  
*liceat, quæ illustribus aut nobilibus Familiis sunt propria. Et*  
 merito

merito perstringit Bonifacius, in tr. de furt. hominem stolidum,  
qui Aquilam & Ursum Columnæ catena alligatum sibi elegit  
rat, hoc disticho:

Redde Aquilam Imperio, Columnis redde Columnam,  
Ursinis Ursum: sola catena tua est.

Quamvis autem Eclipsis hic saltum faciat, aliq; Manifesti  
argumenta, veluti legum, privilegiorum concessionem & confirma-  
tionem, famam & vocem publicam silentio transfiliat: tamen &  
de his aliquid addendum erit. Et quidem privilegiorum con-  
cessionem Principibus Anhaltinis multa monasteria, oppida  
& prædia tam urbana, quam rustica in Comitatu Ascaniensi de-  
bent & transcribunt. Huc pertinent: Cænobium in suburbio Asca-  
nie; Cænobium Grœningen; Oppida Wegeleben, Kroppensted, Koch-  
sted; Prædium seu Villa Winnigen: Prædium in urbe Ascania,  
quod hodieq; grisiã villam, den grauen hof/ Veteres Gangriam  
vocant, In descriptione Clarevallis Monasterii, sub finem ope-  
rum D. Bernhaldi, pro conversorum habitaculo exponitur. De-  
niq; ipsa Civitas & curia Ascaniensis suum dicasterium, suas  
leges suæque privilegia Principibus Anhaltinis fert accepta.  
Exemplum unicum, nobile tamen & ab ipsa antiquitate com-  
mendatum, adducimus: Ita autem Henricus Primus Princeps  
Anhaltinus de successione jure & ordine ex legislatoria po-  
testate statuit: Nos, DEI gratia, Henricus, Comes Ascanie & Prin-  
ceps de Anhalt omnibus, ad quas præsens scriptum pervenerit, salu-  
tem in salutis Autore. Ut ea, que in specie aguntur, ne simul cum  
processu temporis labantur, scripto opus habent testimonio. Hinc est,  
quod ad instantiam & communem utilitatem dilectorum Burgens-  
ium nostrorum de Ascharia jura talia, qualia Burgenses Halbersta-  
denses habere videntur, jam dictos nostros Burgenses in omnibus ca-  
sibus & articulis similibus volumus observare, & quod secundum ea  
regantur, & eisdem, postposito omni impedimento, liberè perfruan-  
tur. Hanc verò donationem & collationem Nos & Nostri He-  
redes in perpetuum volumus permutari. Ascharia 1266. Hoc  
l. 2 docu

documentum est instar omnium, satisq; docet, quid juris *Henrico Principi Anhaltino*, consequenter etiam Eiusdem successoribus in civitatem *Aschariam vel Ascaniam* competierit. Vocat cives suos dilectos *Burgenses*; olim enim per *burgenses* cives, per *burgensatica feuda Urbana & civitatenfia*, & per *burga* civitates seu oppida muro cineta portisq; clausa intelligebantur, & vernaculū nostrum, *Bürger*, antiquitatem illam sapit. Quam imprimis discere possumus ex *Otfrido Monacho*, (quo nullus scriptor nostri idiomatis antiquior reperiri existimatur) locum illum Evangelii; *Ite in civitatem*, ita vertente: *Saret in thia burg*. Quomodo & *Notgerus* in Psalmorum paraphrasi passim. *Suos quoq;* dicit: quare Clerus nihil juris in illos habuit. Idem *leges* illis sanxit & *privilegia* contulit: id quod veræ superioritatis nota atq; indicium est. Consuli possunt hac de re nostri, quorū amplissima scrinia compilare, & exscripta huc transferre nec huius loci est, nec nostri instituti. Ad eosdem remittimus, quibus placet inquirere, quid in hac materia & probandis Regum, Principum, Comitum aliorumque Dynastarum antiquis dominiis *fama seu vox communis* possit.

S. 178 Sed quid hoc ad modernos Duces? exindens domini probatio omnium difficillima inducitur?

Vel maxime hoc ad modernos Principes pertinet. Sunt enim veri ac indubitati *Comites Ascanie*, qui à communi Eorundem stirpe descendunt, & familiam nunquam extinctam à Majoribus suis acceperunt, relicturi eandem sartam teatam, per DEI gratiam, Posteris. Qui in rem præsentem ire cupit, istabulas Genealogicas inspiciat. Nec repetimus hîc ea, quæ ad S. 15, dicta confutandæ *Eclipsi* sufficiunt.

Alioquin intempestiva est *Eclipsis* dubitatio, utrum ex aula vel insignibus domini probatio desumi queat. Neq; enim in terminis probandi domini, sed executionis faciendæ jam versamur. Hac facta & peracta, adibimus cum *Eclipsi Forsterum*

& alios, & de valore *aule, insignium, concessorum privilegiorum* fama & *similium indiciorum* circa probationem dominiis disputabimus. Nemo illorum adeò rigidus est, & tantam difficultatem agnoscit, ut à probatione dominiis, maximè in antiquis, indicia prorsus excludat, quæ jura ipsa lubenter admittunt. Nos suprà quidem ex illis pauca, vera tamen & huic rei idonea excerpimus. Quòd si *Eclipsi* ista parciora videntur, per nos licet, ut vasta Doctorum volumina intueatur & secum expendat. Adplausum ubiq; reperiet pro *Anhaltina* Familia: nullibi pro cupiditate suæ Ecclesiæ.

§ 18. *Hadmerslebienses* Comites sua allodia Ecclesiæ, Archiepiscopo *Magdeburgensi* & Monasterio ejusdem nominis pro sua & suorum animarum salute in perpetuum donasse.

Hic ictus iterum est evanidus: cum hæc non pugnent. Comites *Hadmerslebienses* erant *Vasalli Comitum Ascanensium*: Et Comites *Hadmerslebienses* donant sua allodia Ecclesiæ, Archiepiscopo & Monasterio. Nam & olim, sicuti & hodie, unus idèq; diversa bona simul possidebat, allodialia & feudalìa. Hoc & de Comitibus *Hadmerslebensibus* rectè dicitur. Feuda & quidè *Ascanensia* quod attinet probatur illorù possessio per investiturã publicã, etiam post litem motã à *Bernhardo III.* ejusq; Filio celebratã. De illo documenta publica in hanc sententiã exstant: Anno 1323 feria sexta d. *Bonifacii, Alberto I.* Episcopo *Halberstaden*si spectante & audiente investitur à *Bernhardo III. Wernerus*, Comes de *Hadmersleben*, in *Wolmerstorfensi* Ecclesiã. Pagus iste *Wolmersdorf* quondã prope *Stasfurtum* situs fuit. Devastationis indicia adhuc ibidè videntur, pertinetq; totus ille tractus ad *Anhaltinos* Principes. Subsequenti d. solis conferebatur *Ottoni, Werneri* Fratri, jus simultaneum. Anno 1378. *Bernhardi III.* Filius *Otto* feuda solita Comitibus de *Hadmersleben* solenni ritu & investitura concessit. De eorundè allodiis Principes *Anhaltini* solliciti nò sunt: Spectat hæc res ad eos, qui lucrũ inde captant. Negãt autem & pernegant, omnia illorum bona fuisse allodia. Longè

fortius negatur, allodiorum donationem, si quæ unquam facta fuit, potuisse vel debuisse januam aperire ad feuda simul invellanda & eripienda. Permutationem salutis æternæ & lucrorum terrestrium nemini invidabit Familia *Anhaltina*, modo ne cupiditati habendi aliena involvantur, quod isti ætati apud Ecclesiam *Halberstadiensem* admodum familiare erat. Et quia *Cunrado Hadmerslebenensi* A. C. 1416. defuncto Familix definentis bona, etiam feuda, sacra *Halberstadiensium* famæ devorare conabatur, ideo habuit *Ascaniorum* Familia seu Progenies, quod illicitæ cupidini opponeret. Opponunt id ipsum etiam moderni *Anhaltini* Principes, quia deprehendunt, *Ecclesiam* velle ingenio & genio suæ Ecclesiæ uti, & feuda cum allodiis confundere atq; absorbere.

S. 19. Monasterium verò Episcopo *Halberstadiensi* cum omni iurisdictione spirituali & seculari subiecisse, illumq; in notorio exercitio & possessione ad hanc horam existere, manifestius est, quam ut ulla egeat probatione.

Si de vero & solo allodio, non etiam de feudo & territorio *Ascaniensi* seu *Anhaltino* hæc dicerentur possent in medio relinqui. Verum enim verò experientia *Anhaltinam* Familiam edocuit, Ecclesiæ cupiditatem non subtrixisse intra cancellos allodii. Quicquid enim confundi cum allodiis, & in veræ vel fictæ donationis commercium trahi potuit, videbatur illi ævo, in tanto habendi ardore, ad occupandum habile ac idoneum. Hinc omnia illa bona etiamnum desiderantur, & apud *Halberstadienses* deprehenduntur, quæ tantum feudi *Ascaniensis* seu *Anhaltini* nomine, nec aliter, ad Comites de *Hadmersleben* pertinuerunt. De abusu donationum istius temporis, præsertim circa *Halberstadiensem* Clerum, quædam insignia specimina produci possent in publicum, nisi nobis religio esset Lectorum patientia abusi.

S. 20. Postquam verò *Ottoni senioris* filius *Otto Junior*, Comes *Ascanie* dictus

Suprà in *Manifesto Ascaniensi* lit. G. diximus, *Ottonis Senioris*

nioris Filium *Ottomem Iuniorem* fuisse hominem sacri ordinis & ἀγαθόν. Id verò ab *Eclipsi* ostendendum erat, quòd *Otto Senior* solus *Ascanie Comes* dictus fuerit, h. e. solus hunc titulum, cæteris abjectis, nullus autem fratrum eundem usurpaverit. Absurditatem figmenti supra § 15. non nihil deteximus, de eadem in §. 29. rursus aliquid dicturi.

§ 21. *Herede carens,*

Masculo quidem ex se genito caruit *Otto*, cum humanis rebus eximeretur; aliàs non omni. Aut enim Comitatus *Ascaniensis* allodium fuit; aut feudum. Prius nos negamus; *Eclipsis* tamen admittit; & hætenus heredibus ex se descendentibus *Otto* nequaquam caruit. Reliquit enim è priori matrimonio duas Filias, *Annam* & *Elisabetham*; quarum illa *Marchioni Brandenburgico Alberto*, hæc *Landgravio Thuringia, Friderico* nupserat. Facit præterea *Heinricus Comes de Blanckenburg* mentionem filiarum, quæ eidem *Ottoni* è posteriori matrimonio natae & adhuc A. C. 1325. apud *Comitem Orlamundensem* existisse scribuntur. Posterius verum, & à nobis supra probatum est; & *Otto* iterum heredes seu successores habuit, existentibus ex *Bernhardo I.* & *Sigefrido* Fratre nepotibus. Quæ enim inter parentem & filium, eadem inter defunctum & agnatum in feudi successione continuatio individua admittitur. Imò in feudo successio agnatis magis debetur, & cum tanta necessitate, ut etiam remotissimus primo potius acquirenti, non autem proximè defuncto, succedere dicatur.

§ 22. *Omne us suum, tacentibus & non contradicentibus Anhaltinis,*

Jus *Otonis* in solo usufructu consistebat, quæ vera est de iure feudorum sententia. Quare juxta naturam & legem usufructus cum eodem exspiravit, nec competiit illi facultas, jus suum in alium transferendi, nisi quem successio feudalis vocabat: de quo jure in sequenti §. fusiùs.

Ponit autem *Eclipsis* hîc omnem frontem, quando audeat  
dicere:

dicere, *Anhaltinos Principes tacuisse, nec contradixisse*. Eatenus quidem potuerunt tacuisse nec contradixisse, quatenus *Ottonis* donatio vel translatio nunquam in rerum natura existit. Quod verò tacuerint, nec contradixerint, cum Clerus *Halberstadiensis* Comitatus *Ascaniensi* manus injiceret, id verò absurdum & manifestò falsum est. Expendamus sequentia, & æstimet ipsa *Eclipsis*, num hoc sit tacere vel non contradicere.

1. Anno G. 1315. moritur *Otto*, & protinus possessio Comitatus *Ascaniensis* à *Bernhardo II.* Clericis torvum videntibus, & *Alberto I.* prava consilia suggerentibus, apprehenditur. Constituit ille aulam suam in arce *Ascania*, eidemq; præstatur homagium tam à totius Comitatus subditis, quàm ab ipsis *Ascaniensibus*.

2. Lite inter *Bernhardum* & *Albertum*, Fratres gliscente, deligitur A. C. 1316. *Quedlinburgum*, ut ibi de rationibus concordie ineundæ agatur. Conatur hinc *Albertus* Episcopus Fratri Comitatum *feudi ecclesiastici* nomine obtrudere, confectis hac de re literis. Dissentit Frater fraudem Cleri suspicatus, & cum gravissimæ causæ antehæ adductæ obstarent, mutuo dissensu & re infecta disceditur.

3. Cum *Albertus* Episcopus, obstrepente suo Clero, fraterna monita audire non posset, compellitur *Bernhardus*, ut de hisce injuriis & pravis molitionibus A. C. 1318. apud Imperatorem LUDOVICUM IV. conqueratur.

4. Interim exardescunt domi dissidia magis magisque ac tandem ad Cleri instantiam in apertum bellum erumpunt.

5. Moritur A. C. *Bernhardus II.*, cui Filius *Bernhardus III.* non minus in ditiones & jura, quàm litigia & contentiones succedit, statim *Alberto* Patre castrum *Ascaniam* Famulis de *Vitzenhagen* & *Hoym* oppignoraturò mascula protestatione opposita.

6. Crescentibus indies discordiis *Bernhardus III.* improbum viduæ *Elisabethæ* Comiti *Orlamundensi* jam nubentis, facinus

cinus

cinus acriter improbat, quando *Ascanienses* ad Episcopum *Haberstadiensem* dimittere nititur. Et quia nihil proficit, ideo rem totam, repetita paterna querela, LUDOVICO imperatori exponit. Hoc facto; videtur fervor Cleri, metu maioris mali, aliquid remisisse, quia paulò post *Albertus*, ut §. 18. diximus, *Hadmerslebensi* investituræ à *Bernhardo* Comitibus collatæ lubens intererat.

7. Anno 1324. *Alberto I.* mortuo, redit Clerus ad ingenium, & animi mutuis contradictionibus exasperantur, unde tandem bellum nascitur.

8. Varia fortuna partes exercente, *Bernhardus* contra novum Episcopum, Capitulum & Cives *Ascanienses* mandata ab imperatore impetrat.

9. Anno 1334. alia mandata sub arctiori obedientiæ lege adversus contumaces prodeunt.

10. Anno 1340. armis sepositis, *Otto* Archiepiscopus *Magdeburgensis* eligitur supremus Arbitrator, qui laudum quoq; quod liti finem imponat, pronunciat.

11. Dum autem *Albertus II.* Episcopus armis magis, quàm legibus confusus prædam nec vult nec potest dimittere, superveniunt Imperatoris LUDOVICI literata jussa, absq; clausula: etiam executoriales & executor.

12. Ab illo tempore nullus fuit Episcopus, electus vel postulatus, cui non protestatio vel contradictio hujus Comitatus nomine à Familia *Anhaltina* objecta fuerit. Quàm sedulos se gesserint ceteri *Anhaltini* Principes, infra §. 29. 43. 68. & c. monstrabimus.

Hoc est illud silentium, hæc illa conniventia, quæ *Anhaltine* Familiæ ab *Eclipsi* pro argumento consensus saltem taciti obiicitur. Quòd si hoc tacere est, & non contradicere, tunc utiq; nescimus, quid tandem *Eclipsi* ad rumpendum silentium, & contradictionem ostendendam necessarium videatur.



S. 23. In Episcopum ejusq; Ecclesiam perpetuò transtulisset, ac infra  
anno 1315. concessisset

Tria hinc probè notanda sunt: 1. Quis tandem sit titulus ja-  
ctatæ translationis? 2. An de eo constet? & 3. An de jure sit  
validus?

I. *Eclipsis* prætextus, seu tituli Ecclesiastici, radicem facit Ot-  
tonis translationem perpetuam, seu donationem vel legatum. Fu-  
num itaq; hætenus vendiderunt Clerici, qui modò hac, mo-  
dò illa larva aliis imponere volebant, ne spoliū vitium agnos-  
ceretur. Mox agebant: *Ottonem* possedisse Comitatum nomine &  
jure feudi ecclesiastici. Sed, deficientibus documentis & repu-  
gnante imperialis feudi qualitate, hic modus non satis tutus  
videbatur. Mox *emptio* & *venditio*: alibi *permutatio* allegabatur.  
Verùm sub hujus litis initium de his titulis nullum vestigium  
conspicitur: nulla quoque illorum mentio fiebat tum tempo-  
ris, cum partes de pace agerent. *Ottoniana* translatio seu dona-  
tio introducitur: ad quam videtur quoq; *Albertus II.* Episco-  
pus respexisse, ita respondere solitus: *Se autore Alberto I. An-  
tecessore suo, possidere.* Quamvis enim donationis expressam  
mentionem haut faciat, tamen videtur hic prætextus Clero  
præ cæteris placuisse, procul dubio ob favorem ultimæ dispo-  
sitionis & piarum causarum. Nec poterat *Albertus I.* sibi vel  
sanguinis vel feudi lege in dicto Comitatu aliquid adscribere.  
Ex hac autem Cleri incertitudine & inconstantia duo conse-  
ctaria contra Ecclesiam eliciuntur. Primum est, quòd causam  
suam per has variationes ipsa prodat, & penes omnes su-  
spectam reddat. Alterum, quòd ante *Ottonem* defunctum nul-  
lum jus in Comitatum *Ascaniensem* allegare potuerit, nec ho-  
dieq; allegare possit, nisi de *Ottoniana* donatione prius rectè &  
ritè constet.

II. Jam verò ostendat *Eclipsis* nobis tantum unicum hujus  
rei apicem. Curiosa profectò fuit ista ætas in consarcinandis  
& custodiendis Ecclesiarum & Monasteriorum membranulis.

Eriam

Etiam particula agri minima hujus vel illius villici digna videbatur, ut memoria eius peculiari scripturæ committeretur. Et hæc fertilissima atq; amplissima ditio, quæ *Clodovæi* somnum meridiano & *Remigi Rhemensis* circumitionē multum transcendit, hic, inquam, nobilissimus tractus Principum *Anhaltinorum* & Comitum *Ascaniorum* nullam membranam meruit. Aut si meruit, ubi & in quem finem reconditur? Cur non producit? Cur opima hæc accessio ejusq; allegatus titulus nullam sedem in publicis annalibus invenit? Solebant certè alia minima maxima non facile & tali silentio præteriri. Et qui tale quid sibi persuadet nullo instructus documento, quàm temerè commodet fidem rei incertæ, nemo non videt. Cumque hætenus *Halberstadienses* in tabulis *Ottonianis* edendis parci, imò nulli fuerint, & ne quidem fictitias ostendere potuerint, veniam nobis largietur *Eclipsis*, si dicamus, falsum esse, quicquid de illa hætenus comminiscitur. Ut autem ita seriò statuamus, non modò facit defectus probationis ex parte *Eclipses*; sed etiam ex parte *Ottonis* Principis duplex, tam generalis, quàm specialis præsumptio. *Generalis* hæc est, quòd illustres Viri magna suarum Familiarum cura teneantur, harumq; amor illis natus, proprius & sanctus dicatur: adèò quidem, ut quicquid disponunt vel statuunt, hoc studio familiæ & dignitatis conservandæ fecisse credantur. Quamvis itaq; fidei commissæ non præsumantur, sed facti sint & legitima probatione indigeant; tamen præsumptioni locus est, si Vir illustris de rebus Familiæ agat disponatvè. *Specialis* ista est: quòd princeps *Otto* rerum familiarium, etiam in casibus levioris momenti, diligentissimus Tutor & acerrimus Vindex exstiterit. *Annales* enim testantur, oppigneratum fuisse ab *Ottone* castrum & oppidum *Wegeleben* *Volrado* Episcopo (erat vigesimus sextus ex familia nobilium de *Kransfeld* oriundus) per triennium & sub reuisionis clausula. Debitor reuisionis pretium justo tempore obtulit: cumq; Episcopus & *Halberstadiensis* à lege reuisionis

tionis abirent, tulit illud ægerrimè. Actionis *Bernhardinae* formula de hoc negotio ita loquitur: *Nos Bernhardus repetimus ab Episcopo, Capitulo & Ecclesia Halberstadiensi castrum & oppidum Wegeleben, quatenus prout intra fossam sunt in indagine, quæ bona Patris noster magnus pignoris nexu sub relucendi jure iis permisit, pro qua relucione pretium justo tempore obtulit, conquestusque fuit hac de re usque ad diem obitus.* Annales addunt, *Ortonem* ipsum exercuisse ideo inimicitias cum *Halberstadiensibus*. Quo ausu itaque potest *Eclipsis* hunc Principem sui gentilitii sanguinis, nominis, juris & commodi adeo immemorem ac negligentem fingere, ut integrum Comitatum & totius Familiae decus in suum inimicum, aut saltem extraneum transferre voluerit? Qui ne particulam quidem, unicum castrum & oppidum derelinquere, sed oblato pretio redimere voluit, an Hic Genti suæ & Nepoti ex fratre omnem suam ditionem invidisse existimandus erit?

III. Ponatur autem Princeps tam alieno animo fuisse à sua Familia, tamen ne sic quidem Ecclesiae aliquid juris in Comitatum *ASCANIAE* adstruitur. Donatio enim talis invalida ac inanis erit, cum juris certi sit, *bona gentilitia, conservanda Familiae destinata* non cadere sub cujusvis alienandi simplicem licentiam. Idque verum est tam de *allodiis*, quam *feudis*. Circa *feuda* res magis expedita est, minusque habet dubii (cum & Dominus & Agnatus simul habeant, quod ex manifesta legis feudalis provisione alienaturis opponant. Estque hæc prohibitio usque adeo rigida, ut feudum nec pro anima cuiquam alienare liceat. Et quemadmodum quis *Papæ* rem ecclesiasticam alienaturo in faciem resistere potest, sicuti *Paulus Petro*: ita quoque in feudis idem conceditur contra eos, qui maxima potestate pollent. Par enim est rei feudalis & ecclesiasticæ eura & custodia. In primis autem illud receptum est in *Regalibus seu feudis titulatis*, ut nostri loquuntur, quæ sunt

sunt de numero sacrosanctorum, nequaquam autem in cuiusvis possidentis marsupio.

*In allodiis*, si gentilitia & conservandæ familiæ destinata fuerint, eadem alienandi licentia cohibetur, eundem in finem & pari fervore. Ut proinde neq; hîc inveniat *Eclipsis*, de quo effusè gaudeat. Et quia omnium suorum argumentorum robur præcipuum in *allodiorum jure vago & prodiga licentia* ponit, operæ pretium erit, si & nos ad idem frangendum & imminuendū huic disquisitioni unam atq; alteram pagellam impenderimus. Ibimus autē per omnes juris prohibentis species.

Et primò quidem prædiorum familiarium alienationem DEUS ipse inhibuit; nec solis morituris, sed etiam viventibus.

Secundò jus Canonicum à divino haut abit in iis, quæ illustri splendori & bono publico inservire possunt ac solēt. Hinc Pontifex *Honorius III.* ejusmodi honorū alienationes improbandas & revocandas censuit. *Intellecto jam dudum*, inquit, quòd *carissimus in Christo filius noster Hungariæ Rex illustris alienationes quasdam fecerit in præjudicium regni sui & contra Regis honorem.* Nos eidem Regi dirigentes rescripta nostra, ut alienationes prædictas, non obstante juramento, si quod fecit de non revocandis eisdem, studeat revocare. Neq; est, quòd putemus, Ordines forsitan in causa fuisse, ut donationis etiam juratæ revocationi facilior locus fuerit. Nam quod ibi poterant *Status Regni*, idem in nostro & simili casu Agnatis seu Familiæ & Posteris conceditur.

Tertiò lex naturæ seu Gentium nos monet, ut DEO primas, Generi humano secundas, Patriæ tertias, & Familiæ proximas partes deferamus, hoc scilicet ordine, eum quoque in finem geniti. Has Familia sibi omni jure vindicare, & invitis vel aliud molientibus extorquere potest. *Non passuri erant*, inquit *Plinius, II. in panegyri.*, homines, abradi aliquid bonis, quæ sanguine, gentilitate, sacrorum deniq; societate meruissent. Ad jus Naturæ & lex illa omnium æquissima pertinet;



neminem locupletari debere cum alterius damno & injuria. Et do-  
lum malum facere, qui ex aliena jactura lucrum querit. Ex qua le-  
ge & hoc consequitur, quod Ecclesia ejusmodi bona quamvis  
spontè oblata, ne semel quidem salva lege naturali, adeoq;  
nec bona conscientia accipere potuerit, sed omnino refutare  
debuerit.

Quartò, referente *Bodino*, omnium gentium una quon-  
dam & constans lex fuit: ne prædia testamento legare liceret.  
Quòd Germanorum, adeoq; etiam nostrorum Saxonum, mo-  
res cum hac communi gentium lege examissim convenerint,  
antea in §. 2 diximus. Quòd si autem hoc de prædiis publicè  
placuit, quid definiendum putabit *Eclipsis* ex isto gentium ju-  
re de integris ditionibus & illustrium Familiarum avitis patri-  
moniis?

Quintò Gallorum Regum libertatem adèd coërcitam  
scribit *Baldus*, ut unius quoq; civitatis alienatio illis negetur,  
nisi subditorum seu ordinum consensus accedat. Hinc, refe-  
rente *Johanne Tillio*, comparatur dominium Regni *Gallæ* cum  
indivisa tunica, in qua nulla sutura deprehenditur. Ex hoc ca-  
pite revocabat *Franciscus I.* quod *Carolo V.* imperatori promi-  
serat. Iterum *Carolus VI. Gallus*, quod *Johannes Anglo* conce-  
serat.

Sextò apud *Polonos* nemini fas esse scribitur, quicquam  
prædiorum legare, quocunq; modò quarantur: ne Regi qui-  
dem. Dicitur enim hoc ipsum vergere in Coronæ dedecus &  
præjudicium. Atq; ita aliquando *Castrensis* respondit.

Octavò jura nostra vocant hanc rem lugubrem & deplo-  
randam, quando Posterì videre coguntur antiqua Majorum  
castra & prædia apud extraneos. Ex adverso pacta, quibus li-  
centia alienandi impeditur, jure civili libenter admittuntur  
ac sustinentur, quamvis à naturali ratione non nihil deflectere  
videantur.

Nonò Juri & Politici easdem rationes prohibitionis cir-  
ca alio

ca allodia gentilitia adferunt, quas in feudis haud alienandis considerant. In primis urgent, quod patrimonia illustria & avitata, licet allodialia, æquè sint de numero sacrosanctorum, nec ad cujusvis marcupium vel commercium spectent. Iterum: quod non minus atq; feuda ad conservationem familiarum necessaria sint. Bona ejusmodi, (feuda sint vel allodia) sunt instar sempiternarum & firmissimarum columnarum, quibus respublica nititur. Hæ exiles factæ ingens illud ædificium sustinere nequeunt. Hinc Reip. necessitas & utilitas non modò suadet, sed imperat quoq;, ut bona avita, maximè illustria penes familias perpetuò subsistant. *Mundanus honor, scribit Æneas Sylvius, divitiis sustentatur, quæ sunt fidejussores futuris necessitatibus, sine quibus mortua est mortalis dignitas.* Imò impossibilis existimatur familiarum conservatio, nisi alienationis libertas cohibeatur.

Deniq; decimò hæc prohibitio de alienando etiam in hac ipsa Familia *Anhaltina* à primis temporibus obtinuit, nò quidem characteribus in chartam vel membranam coniectis, sed nobilissimis Majorum exemplis plurimis & constantibus exscripta & publicata. Nam vel hanc ob causam *tam antè, quam post conversionem ad CHRISTUM* foeminae semper exclusæ reperiuntur in successione materia, prælatis subinde masculis, etiam remotioribus, tanquam veris Familiarum propagatoribus. Intueamur exempla.

*Ante conversionem ad  
CHRISTUM.*

**A** Beo tempore, ex quo historiam in materia successione habere possumus, ita actum legimus. Exclutit *Beringerus II. Sororem Bathildin: Beringerus III. Hermannii F. eandem Amitam: Aribo II. & Radbodus Sororem Bendellam: Aribo. Beringerus Sorores Lucretiam, Gedullam, Marinam & Gundellam.*

Post

Post conversionem ad  
CHRISTUM.

**H**ic submovit *Beringerus*, postea *Carolus* sororem *Irmegara*  
*din*; *Albertus I. Bertam*; *Otto* & *Albertus Richardam*; *Ot-*  
*tonis Divitis Sexus Masculinus Philippam, Magdalenam*  
& *Johannam*; *Albertus Sigismundus* & *Sigefridus Veronicam,*  
*Annam* & *Hagnetem*; *Bernhardus I. Sigefridus* & *Otto Hedvvi-*  
*gin* & *Sophiam*; & sic consequenter. Hic est ille ipse *Otto*, qui  
*Comitatum Ascaniensem in Halberstadienses* transtulisse tradu-  
citur, neglecta Familiae suae sobole mascula, posthabitis etiam  
filiabus, ex priori & posteriori matrimonio natis. Sed quis  
non videt, pugnare hoc cum omnibus juribus, recta ratione  
& Gentis *Anhaltinae* consuetudine?

Fortean admittit quidem *Eclipsis* praecedentia contra *La-*  
*icos*, non etiam adversus *Ecclesiam* & Constat enim omnibus,  
quantus hujus favor sit, & quantum illi tribuatur. Atqui ne sic  
quidem *Ottoniana* translationi, si modò unquam facta est, au-  
toritas aliqua conciliatur. Favor enim *Ecclesiae*, quantus etiam  
sit, tantus tamen, teste *Menochio conf. 1003. n. 6.* non est, ut quis  
res alioquin alienari prohibitas in *Ecclesiam* tuto transferre  
possit. Jubetur potius gravatus desistere ab alienatione etiam  
in *Ecclesiam*, si bona successori ex feudi, fidei commissi vel  
alio titulo atq; jure conservatorio debeantur. Supra diceba-  
mus ex aliis, ejusmodi alienationem nec pro salute animae  
admitti. *Petrus Antonius de Petra* favori *Ecclesiarum* addictis-  
simus expressè vult, (verba ejus retinemus) quòd donatio totaliter  
expropriativa facta per Principem *Ecclesiae* non valeat; ubi tamen  
pro more suo *Romanae* indulget. Unde sunt etiam ex illis, qui-  
bus *Constantini Magni* donatio vera videtur, nonnulli, qui Im-  
peratorem lapsus arguunt, quòd in rebus donatis sibi nullam  
jurisdictionem retinuerit. Et notat *Comineus* donationes *Lu-*  
*dovici XI. Galliarum R. Ecclesiis* factas nullam vim obtinuisse,  
quia

quia immoderatae fuerant. Testatur praeterea *Bodinus*, apud *Gallos* etiam interpretatos alienandi & sua in Clericos transferendi licentiam fuisse coercitam. Quod si potest aliquid apud *Eclipsin* Patrum autoritas, audiat, quales *D. Augustinum*, ejusmodi donationibus seu translationibus valde inimicum. Quicumque inquit, filio exheredato vult heredem facere Ecclesiam, querat alium, qui suscipiat, non *Augustinum*: imò DEO propitio nullum inveniet. Vir sanctus ita de patris privati filio, quem tamen forte justa causa hereditate indignum fecerat, sentit ac pronunciat. Quid eundem dicturum putabitur de *Ottonis* filiabus innocentibus? Quid de tota innocenti Familia, & quidem circa bona avita, gentilitia, feudalina? Verum, mi pater *Augustine*, *Eclipsis* nostra hodie hac lege non vivit: imò actum putat de salute sua Ecclesiae, si *Aurelii Episcopi Carthaginensis* continentiam imitari debeat, qui donata reddebat, quae jure poli retinere non poterat. Commendatur hodieque publicis scriptis posteritati *Henrici Aucupis* Imp. temperies, qui *Giselbertho Lotharingo* genero suo, socerum, uti de Procerum consensu certus coronam Galliae ambiret, sollicitanti generose respondit: *Nolo res alienas invadere, legitimis heredibus existentibus.* Sed citius clavam è manu *Herculis*, quam talem sententiam ex Clero *Halbestadiensi* tum temporis quis extorsisset. Vix eandem ab *Eclipsi* impetrabunt omnia jura & exempla hucusque adducta, nisi executionis cuneus adhibeatur. Et hunc brevi adhibitum iri, omnino sperant *Anhaltini Principes*, ut Ecclesia tandem discat, sibi quoque naturae legem latam esse: *neminem locupletari debere cum alterius damno & injuria.*

Quae haecenus dicta sunt, Jcti & Politici non solum de translatione totius, sed etiam de alienatione partis accipiunt. Nam & exiguae alienationes, crebrius repetitae, integra regna absorbere possunt. Id quod vel *Regnum Austrasiae* probavit, de quo *Robertus Gagninus* ira conqueritur: *Succedentes Imperatores inferiorem Lotharingiam partim Colonensi, partim Leodiensi Ecclesiae*





donaverunt. Nonnulli verò ad Leodios Pontifices devenere. Ad hunc modum mutilata Austrasia cum nomen, tum regni dignitatem amisit. Vnde & illud vulgatum apud Petram Antonium de Petra: Alienando totum per frustra, devenimus ad alienationem totius. Quæ ratio movit nostros, ut illi, qui alienationi partis aliquem locum faciunt, protinus illud temperamentum adjiciant: dummodo non sit magni detrimenti. Idem statuunt, unicam baroniam etiam in magno principatu tanti esse momenti, ut alienata majestatem ejus queat subvertere: adeoq; talem alienationem improbant. Quid statuent illi de amplissimo Comitatu Ascania totius Anhaltini Principatus parte tertia, & quidem tam ratione antiquitatis, quam dignitatis & proventuum primaria? Gravissimam injuriam illatam dicent antiquissimæ Familiæ cui Clerus partem istam nobilissimam, unâ cum omni jurisdictione & jure superioritatis, per spoliū manifestum subtraxit. Gravis apud illos est & dicitur injuria, quando civitas tantum præcipua donatur, & dominium ad alium, nullo superioritatis jure reservato, transit.

Et hæc de prohibita alienatione sententia comprobatur exemplis in hac ipsa Principum familia. Idem Princeps Otto, cui tanta prodigalitas & iniquitas affingitur, etiam prædiola & agros exigui momenti non nisi cum Agnatorū consensu DEO dicavit, ut rata firmaq; essent, quæ ageret. Fecerunt idē aliquoties Posterī. Exorbitantibus verò aliis donationes vel revocata fuerunt, ut immoderata & illicita vel etiam statim impedita. Esicus IV. Comes Ascaniensis conditor arcis Anhaltinæ, mutata sede antiqua, Canonicos in arcem avitam Ballensted introduxerat: parte illustris patrimonii, in primis dynastia Waldersæe illis consecrata. Utq; huic dispositioni suus vigor constaret, consensum Fratris Alberti, Primi ibidem Præpositi, & Ottonis I Imp. adhibuit. Nihilominus quia in legem gentilitiam peccatum erat, bona ista ab Ottone Divite, Esici IV. Nepote, revocata fuerunt. Agnati in Familia Marchionum Brandenburgensium

suam idem observârunt. Quare cum Henricus Ottonis Divitis  
 Pronepos, Alberti tunc Nepos & Ottonis Filius in orbitatis so-  
 lationem Marchiâ veterem Episcopatus constituendo destinâs-  
 set, contra dixit Frater Elector Brandenburgicus, remq; totam  
 suo dissensu impedivit. Planè, ut tandem finiamus, omnibus  
 hæc conatibus, circa alienationem bonorum illustriū & gen-  
 tilitiorū iure applicari potest responsum Ambrosij ad Valens-  
 tinianum Imperatorem Basilicæ copiam postulantem: *Nec  
 mihi fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit.*

§ 24. Vidua vero donationi huius memor, ducto in matrimonium Co-  
 mite de Orlamunde, Ascanienses ad sedem Halberstadiensem remisisset.  
 Magnam sibi vim Eclipsis tribuit, dum foeminam in virū mu-  
 tare conatur. At enim, viduâ duxisse in matrimoniū Comitē  
 de Orlamunde: ducere autem virorum erat, non foeminarum,  
 quæ nubere dicebantur. Et transmutatio ista valdè suspecta est  
 Manuali, quando sic iudit:

*Uxorem quare locupletem ducere nolim,*

*Queritis? uxori nubere nolo mee.*

Sed transeat hoc cum cæteris. Illud autem suspitione haut ca-  
 ret, quod Eclipsis ad textū l. 20 C. de legat. prorsus obmutuit. Sive  
 enim feudum, sive alodium dicamus Comitatum Ascaniæ:  
 tamen Viduæ, præter dotalitium seu usum fructum nullum jus,  
 adeoq; nec facultas remittendi subditos ad alios competuit. Et  
 frustra est Eclipsis, quando pro more suo audacter ait, hoc factū  
 fuisse ex donationis maritali memoria. Qualis enim potest esse  
 memoria donationis, quæ vel planè nō existit aut saltē non  
 iure facta fuit? Verūm quemadmodum Clerus huius iniquæ re-  
 missionis ante hac nullam mentionem fecit: ita longè alius  
 anguis in herba latuit. Erat sedis Halberstadiensis Vasallus, &  
 quantum è diplomate quodam haut obscure colligitur, Mini-  
 ster primarius, *Fridericus Comes de Orlamunde*. Hic ab illius vi-  
 duæ novæ suæ nuptæ amoribus facile impetrabat, ut ausu etiam  
 prohibito Cleri cupiditati velificaretur, & mariti sui condi-

tionem meliorem redderet. Et legitur, Comitem istum possessorem fuisse castri & oppidi *Wegeleben*, litigiosa istius rei, de cujus iniqua detentione etiam ipse *Otto* conquerebatur. *Bernhardus III.* postea allegat gravissima damna, quæ illi eiusque subditis *Orlamundensis* iste in gratiam sui Cleri aliquoties intulerat. Dicant vel ex hoc *Vidua Ascaniensis* exemplo Viri Principes, familiæ suæ rectè consulturi, quid in dotalitiis constituendis observare debeant. Caveant sibi juxta *Betsium de pact. familiar. illustr.* ut ne præcipuas aut munitas arces dotalitiis nomine *Viduis* assignent. Facile quippe fieri potest, ut sexus iste nonnunquam iræ amoris aut ambitionis stimulis irritatus potestate sibi concessa abutatur. Exemplum *Elisabethæ Goerlitæ, Caroli IV. Imp. ex Johanne Filio Neptis* apud eundem *Betsium* cap. 6. dignum est quod bene perpendatur.

S. 25. Exinde primùm *Anhaltini* ceperunt feudi titulum ac investituras, nunquam tamen ad præmissas requisitiones in lucem productas allegare.

Exinde primùm dicit *Eclipsis*, h. e. cum jam *vidua Comiti de Orlamunde A. C. 1322.* nuberet, & de remittendis *Ascaniensibus* ageret. Falsum hoc esse, patet ex sequentibus. Nam primò feudi *Ascaniensis* titulus jam pridem ante *Otonem*, cum *speculum juris Saxonici* prodiret, imò statim *Caroli M. ævo* publicè notus erat; quare stultum fuerit, de investitura ejus ambigere. Deinde disputatio inter *Bernhardum II. & Albertum Fratrem Episcopum* statim post *Otonis obitum 1315. & 1316.* nascebatur, nec verosimile est dissimulatos fuisse apud eos, qui terram contentionis reciprocabant, juriū vel prætensionum titulos & præsidii sui nomina. Tertio *Bernhardus II. A. C. 1318.* ab Imperatore *LUDOVICO IV.* breve testatum obtinuit cum hac clausula: *Rem eius circa Patruis Otonis regalia & feuda imperialia salvam fore.* Quod iterum absq; allegatione tituli feudalis & petitione investituræ fieri haut potuit. Et hæc tamen omnia per annum 1315, 1316, 1317, & 1318, acta & gesta fue-

re. Quomodo itaq; dici vel fingi potest demum A.C. 1322, Anhaltinostalia animo agitasse, vel spargere coepisse.

Addit Eclipsis; *nunquam tamen ad praemissas requisitiones in lucem productas allegare.* En virgulam censoriam, quam illa temerè & superbè sibi arrogat! Quid enim ad eam requisitio seu iussio? Respondere utiq; possunt jure optimo Principes Anhaltini: *Quoad te, Eclipsis, liberæ ades habemus.* Et illud vulgatum: *Tua quod non refert, percontari desinas.* Quod supremo feudi Domino Imperatori licuit, hoc ad alium, in primis rei alienæ invasorem, haut pertinet. Adeoq; mittit Eclipsis falcem in alienam messem quando, *de iure Tertii*, disputat. An ignorat, neminem cum exceptione tali in iudicio audiri?

Equidem non dissimulabimus, reperiri nonnullos praesertim inter recentiores, qui in hac ipsa feudorum materia de iure tertii excipientes audiendos & admittendos esse putant. Verùm si quis terminos eorum probè consideraverit, statim deprehendet, illos à nostris toto coelo discrepare. Et obstant Eclipsi hîc varia. *Primò* constat è praxi antiquitatis & ipso textu feudali, eiusmodi investiturarum actus, qui ut plurimum in locis publicis ac solennibus comitiis celebrabantur, scripturam haut semper, nec necessitate quadam desiderasse. *Secundò* nullum vestigium apparet, quòd Ecclesia vel sub litis initium, vel coram Imperatore, Episcopum ad causam dicendam vocante, vel etiam coram Arbitro Otone huius exceptionis ullam mentionem fecerit. *Tertiò* in iudiciis summaris, adeoque in hac manifesti spoli causa exceptio hæc iuxta Zangerum & eos, quos allegat & sequitur, locum non habet. *Quartò* non erat ista in nostro casu NB. ipso iure exclusiva juris & intentionis illorum, Principum scilicet Anhaltinorum, contra quos objiciebatur. Verius quippe est, Principes propter investituræ neglectum (hic autem constantissimè negatur) feudo suo Alcaniensis non

iplo jure excidisse, sed requiri in tali casu à Domino sententi-  
 am declaratoriam; quod communis fert opinio notante Schra-  
 dero & Rolenthalio. Idque Menochius *vol. conf. 79. n. 29.*  
 exemplo emphyteutæ illustrat. *Emphyteuta, inquit, ob non so-  
 lutum canonem expelli ipso jure potest, atq; ita jure suo privari: atq;  
 tamen censetur privatus volente Domino. Hanc ergo exceptionem,  
 nisi Domino placeat, ita transferendo jus in tertium, is tertius obje-  
 cere non potest.* Ubi autem Imperatori Feudi Alcaniensis Do-  
 mino directo hoc placuit? Ubi per sententiam declaratori-  
 am contra Anhaltinos Principes jus aliquod in tertium, seu  
 Halberstadienses transtulit? Contrarium verius est, ut mox  
 videbimus. *Quinto* exceptio de jure tertii nemini prodest,  
 nisi & ipse jus quoddam in re controversa habuerit. Quam pu-  
 tida autem, vana & falsa sit Ec ipsi jactantia, sibi ex improbo  
 Spolio, vel etiam figmentis suis jus aliquod asserentis, supra  
 prolixè ostendimus. *Sexto* NB nec Imperator LUDOVICUS  
 IV. nec quisquam alius inter Gloriosissimos successores de-  
 factum talem contra Anhaltinam Familiam allegavit un-  
 quam; nihil quoq; de privatione dictum scriptumvé depre-  
 henditur. *Septimo* conatus Ecclesie potius scripto & facto  
 improbatos & publicè aliquoties damnatos scimus. *Contra*  
*Octavo* exstant Imperatoris mandata iterata, decreta execu-  
 tione & misso Executore confirmata, adeoq; enixissima de  
 Principibus Anhaltinis in feudo suo defendendis voluntas.  
 Quibus *nono* accedit Divi MAXIMILIANI I Imp. PLACI-  
 TUM, quo acta gestaq; Imperatoris LUDOVICI IV. repetita,  
 firmata & stabilita sua fecit: PRIVILEGIUM quoq; nobilif-  
 simum, quo enixè cautum fuit, ne res Anhaltinæ aliquo de-  
 trimenti possent capere. Hoc securum Maximilianicum, ab  
 omnibus successoribus adprobatum, ac magis magisq; vali-  
 dum redditum istos idus, quos Eclipsis nobis minatur, facili-  
 mè potest excipere ac avertere. Hujus robur pro causa An-  
 haltinorum Principum conservanda & ad optatum finem per-  
 ducenda

ducenda longè plus potest, quàm Romanorum Ancyle, cœlo, ut fingeant, delapsum, pro custodienda republica. Deniq; decimo hæc exceptio de jure tertii, longioris est indaginis, & tam ventilationem, quàm probationem diligentem requirit ante, quàm de ejus admissione quid certi definiri & statui possit. Atqui talis exceptio contra executionem decretam, inchoatam & jam fortiùs repetendam frustra opponitur.

§ 16. Halberstadienses in legitima, civili & naturali possessione primùm turbare, tandem verò planè ejicere.

Nullum Circæum vel venenatum poculum ad emovendam mentem & obliterandam rectam rationem adeò forte erit, ut huic Eclipse os assertioni apud Lectorem ad sensum conciliare valeat. Quis enim possessionem legitimam, civilem & naturalem formabit ex invasione manifesta in feudum Imperii; cui clandestinitas viam aperuit; precarium munit; & violentia absolvit? Hæc tria siquidem vitia concurrunt in conatibus contra Bernhardum II. & III. & in Fratris Alberti, Viduæ Ottonis & Cleri Halberstadiensis collusionibus: id quod constans annalium & publicorum actorum fides docet. Quomodo talis detentio, quæ nullo juris colore nititur, à legibus nomen & robur consequi poterit, ut legitima dici mereatur? Imò verò jura nostra hac tanto odio prosequuntur, ut nihil hîc tribuant vel *coloris conciliationi*; vel *Principis auctoritati & confirmationi*; quibus aliàs in materia possessionis multum largiuntur.

Hîc verò Eclipse ipsi innocentia, & longè iniquius, quàm lupus iste Ætopicus ovi insultat, quando Anhaltinorum Majoribus turbationem in rebus Ecclesiæ & violentiam affingit. Licuit utiq; illis, in primis autem Bernhardo II. & III. possessionem feudi ad se devoluti natura em propria auctoritate apprehendere. Nec vacantem tantùm; sed etiam, quæ apud spoiatorem & rei feudalis vel gentilitiæ detentatorem erat. Potuerunt idem, jure permittente, tam adversarium suis

&amp;

& Agnatorum viribus ad restitutionem spoliū compellere. Nec turbasse dici poterant, qui possessionem civilem retinebant, & naturalem, adhibitis legitimis remediis, & adsentiente supremo Principe, continuare nitebantur. Ad facta retundenda factū opus erat, & Halberstadiensium violentiæ vis rectè & justè opponebantur. Præsertim cum Majores, tumultuantibus rebus Imperii, & supremo Jdice in varias partes distracto, remedia juris, hæcenus vel idè inania, diu & sine ullo fructu circumspicerent. Habuerunt tamen semper ad stipulantem & ita statuentem Cæsarem: *civili nimirum possessioni naturalem conjungi posse ac debere.* Neq; enim, quia per meram vim naturali possessione quandoq; dejiciebantur, idè & prorinus civili vel etiam omni recuperandi jure excidebant. Communis est apud Menochium & sequaces, *ne illum quidem turbare, qui spoliatorem iterum immediate spoliat.* Quomodo autem civilis possessio semper penes Anhaltinam Familiam substiterit ac etiamnum subsistat, *infra §. 52. & sequ.* explicabitur.

§. 27. *donec diæcesis, legitimis sumtis armis, hanc partem suæ ditionis recuperaret.*

Eclipsis in spoliū sui causa illegitima subsidia invenit: nimirum *suprà titulum legitimum & habilem*: Paulò antè *legitimam possessionem*: & nunc quidem *arma quoq; legitima.* Verùm in superioribus fumum vel fucum vendidit, & arma legitima dici nequeunt, quæ vel pro contrectatione, vel pro defensione illegitima, invito & prohibente supremo Principe, expediuntur. Meminisse autem debebat Eclipsis, spoliationem armis intervenientibus repetitam longè gravius odium incurrere, quàm quæ fit sine armis. Sed nec spoliatori, qui immediate & ipse spoliatus est, arma ita subveniunt vel patrocinantur, ut legitima dici queant. Dicit tamen Eclipsis: *partem suæ ditionis recuperatam fuisse à diæcesi.* Quòd autem ASCANIA & Comitatus ASCANIÆ falsò dicatur diæceseos vel Ecclesiæ

clesiæ ditio, suprà sufficienter deductum fuit. Nihil huc facit  
*jaçtata emtio - venditio*, vel etiam *permutatio*, quamvis vera ef-  
 sent, quæ aliquando Clerici è tabulis mutilatis & suspectis,  
 imò falsis recitabant. Neq; enim *tertia vel quarta pars oppidi*  
*Ascania*, *Officium Sculteti & Parochialis Ecclesia* integram di-  
 tionem, seu integrum Comitatum, constituere possunt. Quæ ve-  
 rò suprà de *donatione* adferebantur, ulteriori refutatione digna  
 non sunt. Et *oppignoratio* sub lege reuisionis ad certum tem-  
 pus facta, oblato ac à creditore repudiato pretio, iterum frae-  
 gilior est, quàm ut ditioni immutandæ & sedi Halberstadiensi  
 addicendæ possit sufficere. Modus quoq; recuperandi dignus  
 est, qui discutiatur & perpendatur. Volrado Episcopo, cum  
 sponsoribus suis Halberstadiensibus, pignoris restitutio-  
 nem negante, ad iram & inimicitias ventum. Hic, sub  
 primum dissidii tempus, calore quodam vel iracundiæ, vel,  
 quod verius est, cupiditatis manus à Clero & aliis bonis, in-  
 terq; ea ipsi *Silversdorf cum tribunali usq; ad locum judicii publici*,  
*bis an den Frevel* / injicitur, quæ tamen pignoris nexu hauri  
 tenebantur. Mox ad alia eandem extendit Clerus, cum Bern-  
 hardus II, injuriam & ludibrium mutationis feudi Imperialis  
 in Ecclesiasticum ferre nec posset nec vellet. Cohibebatur  
 ad tempus ista grassandi libido per Imperatoris monitum, cum  
 Albertus I, Episcopus & conscientiæ & obsequii rationem  
 aliquam habere cœpisset. Hoc autem defuncto & invale-  
 scente Alberti II, potentia, vix integer Comitatus nobilissi-  
 mus & amplissimus Cleri concupiscentiæ sufficere potuit.  
 Et hoc Eclipse est, *ditionem suam legitimis armis*  
*recuperare*: hoc est, *pro particulis exiguis, incertis,*  
*vel nullo modo competentibus, aut pro pignore uni-*  
*us castri & oppidi malè retento*, *vel etiam ex*  
*fictæ aut prohibitiæ donationis pretextu totam*  
*provinciam seu integrum Comitatum deglutire:*



Insigne recuperandi artificium & nobile circa res alienas temeramentum! Videantur quoq; dicta ad §. 22,

§. 28. Dato, minime tamen in detrimentum veritatis concessio, fuisse hunc Comitatum feudum masculinum, quia verò Anhaltini pro certo ac comperto habent, anno 1288 inter Ottonem, Patrem ultimi huius Junioris Ottonis, Bernhardum & Sigefridum mitam fuisse divisionem terrarum suarum.

II. Argumentum à jure simultaneae investiturae sumtum.

Jam pergit Eclipsis ad novum argumentum, ita tamen, ut nondum in qualitatem feudalem, & quidem masculinam expressè contentiat. De hac autem re clara & perspicua, Historicis, juri Saxonico & Imperatoribus satis superq; cognita, ut diutius laboremus, haut est necessum. Aequis & veritatis studiosis rerum publicarum aestimatoribus etiam pauciora in rebus antiquis sufficient; habendi cupidis ne quidem illa, quæ luce sua Solem meridianum superant. Æthiopem laveris, si Eclipsi qualitatis allodialis nauseam conciliare velis argumentis licet solidissimis, sine qua Ecclesia ejus salva esse non potest. Quò tamen hinc iterum & brevissimè monenda erunt. Primo, quòd Otto Junior, Clericus, ἀγαθος & improlis ante parentem Ottonē Seniore[m] terris ereptus fuerit. Deinde, quòd divisio ista A. C. 1288. facta nequaquam omnia comprehendit, nec omnimodam separationem introduxit. Tituli enim, insignia, dignitates & jura Principum in publicis conventibus exerceri solita relinquebantur Dividentibus integra. Omnes vocabantur etantq; Principes Anhaltini, Comites Ascaniæ & Domini Berenbergici. Posteriores omnes hodieq; ita audiunt publicè & privatim: Servestanæ dynastiæ titulo prioribus tardius, sed rectè & vigore antiquissimi domini, in vetustissimos Sorabos devictos & subactos obtenti, adjecto.

§. 29. hinc igitur necesse habent, legitimè demonstrare juxta receptum jus Saxonum, ipsos tum viventes Duces Anhaltinos, per simultaneam in-

ve-

*vestituram Saxoniam jus successionis, proprio facto interveniente, debito ac legali tempore conservasse, id aliquoties ab ipsis flagitatum ducere non potuerunt.*

En iterum Censorem sine suffragiis; Prætozem sine sella; & Magistratum sine cathedra & ferula! Ecclesia scilicet, juxta mentem Eclipseos, aliquoties flagitavit, ut hoc & illud Principes Anhaltini ostenderent? Sed unde jus illud flagitandi habuit? De hoc, quemadmodum & de flagitatione ipsa nihil planè constat: de illo longè minùs. Jam antè dictum fuit, exceptionem de jure tertii Eclipsei vel Ecclesiæ proficere non posse. Requiritur enim ad hoc, ut Dominus superior velit, & ita mentem suam declaret, insuper quoq; sententiam hac de re ferat. Ita in casu haut planè dissimili statuit Rosenthalius de feud. cap. 6. conclus. 58. n. 6. & 7. Propius accedit Schraderus de feud. pag. 9. princip. sect. 9. m. 5. Ex principali conclusione, inquit, infertur, si vasallus feudum suum ab alio possessum vendiderit, illum tertium contra vasallum vendicantem feudum non posse excipere de feloniam commissa, etiamsi illa feloniam talis sit, propter quam vasallus ipso jure feudo privatus est: nisi ipse fidem faciat, dominum feudi jam declarasse, quòd velit, vasallum propter hanc feloniam feudo privatum esse. Jam eat Eclipsei nobisq; ostendat, ubi Dominus, Imperator nimirum, voluerit? ubi mentem suam declaraverit? ubi sententiam suam hac de re tulerit? Nihil horum, contrarium autem ubiq; inquirentibus occurret. Ut proinde quis haut immeritò mirari possit, cur Eclipsei se & alios, nodum in scirpo quaerendo, defatiget,

— — — — alternaq; iacet,

*Brachia protendens, & verberet ictibus auras.*

Verùm operæ pretium fuerit, Eclipsei nihil probante, omnibus ostendere, quàm vanum & frigidum sit hoc secundum eius argumentum. Pollicetur sibi nescio quid subsidii in simultanea investitura juris Saxonici: sed iterum frustra & sine ullo successu. *Primo enim nunquam nobis fidem faciet*

Eclipsis, jus Saxonicum in Principatibus & Comitatus seu Feudis Imperii per Saxoniam, illo præsertim ævo, obtinuisse. Verosimilius est, & consentit praxis istorum temporum, quòd Imperatores feuda Imperii magis ex huius, quàm Saxonici juris legibus, æstimaverint, cum, præsentibus Paribus Curia, pro tribunali pronuntiarent, quod secundum mores Germaniæ justum & æquum videbatur. Factum id non modò ante divisionem Principatus Anhaltini: sed quoq; postea; etiam Friderici III. & Sigismundi Imp. temporibus. Hoc cum ita obtinuerit, jure Saxonico feudali per tria ferè secula maturescente, quid dicendum putabimus de divisionis tempore, quo libri feudales adhuc recentiores erant, & magis dubii vigoris. Sunt *deinde* Icti egregii, & quidem juris Saxonici peritissimi, qui hodieq; juri Saxonico in feudis Imperii per Saxoniam nullum locum faciunt. Hinc aliquando Marpurgenses Henningu Gœdenum secuti, teste Ant. Colero, inter Basileensium disputationes, ita respondebant: *Certum est, quòd in Principum Saxonorum feudis imperialibus, regalibus & dignitatibus non jus Saxonicum, sed imperii Romani, observetur. Idq; inter alia & exinde liquet, quòd in Electoratu, Principatibus, Comitatus & provinciis, quas feudi nomine Duces Saxonie ab Imperio Romano accipiunt, Duces isti non vigore coniunctæ manus, sed juxta leges Imperii succedant.* Et quamvis tertio Gerhardus & alii aliud statuunt, nec nostri sit instituti, hoc in loco definire, vel etiam penitus inquirere, an hæc vel illa Familia Saxonica terre in feudis suis regalem dignitatem annexam habentibus juxta leges Imperii vel Saxonicas succedat; tamen nec Gerhardus nec alii probare poterunt, in illis jus rigidum simultaneæ investituræ Saxonicae etiam post divisionem, subinde renovandæ, unquam receptum fuisse. Sanè *quarto*, quod inclutam Familiam Anhaltinam attinet, huic necessitas vel neglectus renovationis faciendæ ne opponi quidem potest. Gaudet enim hoc peculiari antiquæ fidei privilegio: *Indulgemus illis etiam*

iam id privilegii, ut si vel *Maiores vel Parentes eorum NB.* divisionem ditionum suarum instituisent, vel ipsimet & Posteriorum in posterum instituturi essent, hoc citra jacturam NB. conjuncta manus facere possint. Nosque vigore harum literarum prefatam divisionem ex certa scientia confirmamus & corroboramus &c. Hoc privilegium Cæsareum antiquissimum procul dubio eius virtutis & operationis, si non maioris efficaciam, erit, ut æquè tutos præstet dividentes adversus quamcunq; objectionem ruptæ seu dissolutæ manus: quemadmodum de cautione sua privata in quibuscunq; etiam minoribus feudis Schneidervinus *part. 5. de feud. n. 20. pag. 298.* expressè scribit, Rectè IC. Andreas Knichen in suo tractatu de vestitut. pacti-  
on: *Renovatio conjunctæ manus necessaria non est, vel propter conventionem: vel propter gratiam: vel propter consuetudinem.* Et hætenus quidem, non obstantibus multis divisionibus, semper securi fuerunt Principes Anhaltini, renovatione juris Saxonici prorsus posthabita. Quibus etiam sub Divo Ferdinando II. Imp. ea privilegii interpretatio obvenit, ut, rejectis omnibus renovationum scrupulositatibus, duo tantùm casus renovandæ investituræ expressi fuerint: I. *Excessus Domini Feudi: 2. & Senioris Familie.* Quintò nec ideo per divisionem istam jus conjunctæ manus rumpi potuit, quia non omnia in divisionem venerunt exceptis nimirum insignibus, titulis, dignitatibus, & tam sessionis, quàm suffragii juribus. Sextò ipsa facta imperatorum à primo istius divisionis die in hoc usque tempus abundè docent argumentum hoc Eclipsis frivolum esse & nullius momenti. Permittat nobis æquissimus Lector, ut annorum factorumq; ordinem paucissimis hîc sistamus.

Anno C. 1318. Ottone jam defuncto, Bernhardus II. ex Fratre Nepos breve testatum impetravit: nimirum illa omnia jura salva fore circa bona Ottonis Patruis, ab Imperio hætenus recognita. Anno C. 1322. Bernhardus III. ab Imperatore LUDOVICO, IV. investitur, muniturq; Cæsareis rescriptis,

Vasallos & subditos Comitatus Ascaniensis ad Principem istum remittentibus. Anno C. 1333. Sigefridi Nepotes adultiores facti, *Albertus & Woldemarus*, Lineæ Servestanæ & Dessaviensis Conditores, simultaneam investituram consequuntur. Anno C. 1340. Francofurti ad Moenum, cum Imperator LUDOVICUS publicè testaretur, se Halberstadiensis Episcopo nihil juris in Comitatu Ascaniæ concedere, reperitur investitura *Bernhardi III* solennissima, Rudolpho Saxe, Friderico Misnensi, Ludovico & Stephano Bavaris, Imperatoris Filiis, Rudolpho & Ruperto Palatinis præsentibus & spectantibus. Investitur deinde *Bernhardus IV.* à Carolo IV. Imp. A. C. 1348. VVitebergæ: *Henricus* 1356. *Otto* 1377. : *Johannes* 1382. : *Sigismundus* à Wenceslao 1385. : *Bernhardus V.* à Sigismundo 1400. : *Albertus Claudus* 1417. : *Bernhardus VI.* 1420. : Hic *Bernhardus VI.* cum *Adolpho & Georgio* à Friderico III. Imp. 1444. investituram accipit. Cumq; is ultimus esset *Bernhardina* seu *Berenburgensis* lineæ, successit eidem Agnatus lineæ *Sigefridina*, nimirum *Georgius*. Huic divisio inter Filios Henrici primi Principis celebrata facta, & ab Eclipsi talem ob causam obiecta læsio coniunctæ manus nihil obstitit. Quare contra Eclipsin ita concludimus: Quemadmodum successio lineæ *Sigefridina* se habuit ad *Bernhardinam*, ita se habuit successio lineæ *Bernhardina* & *Sigefridina* ad *Ottonianam*. Et quemadmodum ibi *Sigefridina* propter divisionem Majorum excludi haut potuit: ita nec hic *Bernhardina* & *Sigefridina* ex tali causa excludi debebant. Utrobique enim militat eadem ratio: *Sanguinis* scilicet, *familie* & *conservati iuris simultanei*. Anno 1425. Conferitur investitura *Woldemaro*, *Georgio*, *Sigismundo*, *Ernesto*, *Rudolpho* Fratribus, idemq; *Magno*, *Adolpho* & *Philippo* patruelibus: 1495. *Rudolpho*, suo, fratrum ac patruelium nomine à Maximiliano: 1516. *Johanni*, *Georgio* & *Joachimo*: 1518. *Wolfgango*: 1521. *Wolfgango* & *Johanni* tam suo, quam fratrum & Agnatorum

Georg

Georgii, Joachimi, Adolphi & Magni nomine à Carolo V. Imperatore: quos reliqui usq; ad hanc horam in accipiendis investituris subsecuti sunt justo tempore & continua serie: quoties id feudi ratio & necessitas postulavit.

Hæ continuæ investituræ, quarum objectum semper quoq; Comitatus Ascaniæ fuit, evidenter probant: *jus simultaneum nunquam periisse; ne quidem per divisionem Bernhardi, Sigefridi & Ottonis, vel ullam aliam. Quæ postea per tot intervalla fuerunt salva ac integra, illa & antea talia mansisse, divisione nulla obstande. Jura & bona investiturarum literis comprehensa fuisse Anhaltinorum Principum: non Clericorum vel Ecclesiæ. Per ejusmodi continuas investituras conferris successoribus cum possessione jus in re: absq; possessione jus ad rem, & facultatem propria autoritate ingredi tribui. Deniq; ejusmodi scripturas antiquas & continuas, in quibus Principum vel Baronum jura & territoria descripta continentur, etiam legis autoritatem obtinere. Et quid plura? si nondum acquiescere poterit Eclipsis, reiicienda tamen erit & hæc exceptio, si non profus, saltem in aliud tempus, cum in terminis executivi seu contra executionem diu decretam & inchoatam, nunc autem perficiendam ejusmodi exceptionum nullus sit usus, nulla quoq; autoritas.*

S. 30. *si igitur subsecuti temporibus, non citata & audita ecclesia, aliquas impetrarunt investituras, illæ planè injustè super juribus & bonis Ecclesiæ quæ sitis, ac etiam nulliter observatæ sunt.*

Tempus, ordo & modus impetratarum investiturarum cognosci potest ex præcedentibus. Actum non agimus: & quia omnes Eclipseos præmissæ fallæ sunt, ideo nec conclusio vera esse potest. Ait tamen: *non citatam, nec auditam fuisse ecclesiam.* Et quidem neutrum tum temporis necessarium erat. Nihil enim ex bonis illustri patrimonii sanguini & Familiæ soli conferendis ad Clerum unquam pertinuit. Tantò turpius hoc Eclipseis figmentum est de juribus & bonis ecclesiæ quæ sitis, quantò crebrius id repetitur absq; testibus. Actum fuit hæc  
de

de re suprâ pluribus: Quin imò postea, cum Albertus II, Episcopus armis sumtis majorem vim innocenti Familiæ inferret, citatus fuit, primùm ab Imperatore binis vicibus, uti infrâ ex documento lit. E. n. 1. 2. 3. & 4. patet; iterum ab Ottone Archiepiscopo & Arbitro. Sed Cæsaris tribunal fugiebat, & semel coram supremo Arbitro victus causæ suæ improbetæ ad eò timuit, ut nullam in legibus, omnem autem spem in armorum potentia collocaret. Quia itaq; Ecclesiæ invasio publica publicè quoq; , & quidem aliquoties, damnata fuerat, omnino potuit ac debuit Imperator Episcopo etiam non citato, non audito, secundùm Jctorum sententiam, resistere: multò magis autem citato & audito. *Quod si vassallus, scribit Matthæus de Afflictis in prædiis feudorum, de facto ab aliqua persona Ecclesiastica feudo suo, quod à Rege tenetur, spoliatus fuerit, potest Rex NB. de facto spoliare ecclesiam, & recuperare possessionem & illam vassallo tradere.* Subjungit ibidem, quòd super hoc quandam declarationem Regis Caroli II, de consilio sapientissimi Jcti Bartholomæi de Capua, factam viderit. Si itaq; supremus Princeps eiusmodi violentiæ de facto resistere potest, malè illi vitio vertitur, quòd super feudo antiquo & vexillati imperii Romani Vassallis suis veris & legitimis investituræ spoliatore haut citato, concessit. Malè etiã eiusmodi investituræ injustæ vocantur, & nulliter impetratæ vel observatæ. Omnium pessimè finguntur super iuribus & bonis Ecclesiæ quæsitis collatæ, ut aliquoties diximus: Facit, quòd juxta Brun. cons. 19. feud. & alios ommissa citatio actum non vitiet, quoties Princeps invito quoq; præjudicare potest.

S. 31. *Ex hisce igitur omnibus ac singulis bono ac optimo viro ac judici discreto obvium esse poterit, quàm inique & injustè apud Imperatorem Ludovicum Bavarum Episcopo & Ecclesiæ infestum.*

Antecedenti falso consequens non potest subsistere; et nihil tale, quod Eclipsis minatur, Viris nullo affectu impeditis obvenerit, si ejus præsupposita antecedentia rectè examinentur,

mentur. Quibus hinc iterum aliam falsam hypothesin addit, ne ingenium depoluisse velle videatur. Fingit enim LUDOVICUM IV. Imp. Episcopo & Ecclesie infestum fuisse, id quod procul dubio ex alia causa, non autem ex contumacia & contemtu iussionum Imperialium, profectum intelligi debet. Videtur infesti huius & hostilis animi indicium ex dissensione inter Imperatorem & Pontificem producere velle: quam ne sic quidem sibi constet, cum infra §. 39. Imperator po infestum dicat. Sed indicia & argumenta istius seculi, quæ ex annalibus Halberstadiensibus depromi poterant, ab Eclipsi autem diligentis silentio premuntur, falsitatem huius præsuppositi soli aprico exponant.

Primò, cum causa Ascaniensis agitari coepit, nondum natum erat inter Imperatorem & Pontificem dissidium. Imò Pontifex primis annis propensissimo animo erat in Imperatorem, & à Friderico Austriaco alienus. Unde scribit Aventinus, repertos fuisse illius temporis bullas Pontificias cum hac inscriptione: *Dilecto filio, Nobili viro, Domino Ludovico, electo Romanorum Regi.* Deinde sub idem ferè tempus Albertus I. Episcopus Halberstadiensis Ludovici Imp. primo genitum Ludovicum egregiis feudis exornavit. Historice quidam Halberstadiensis recenset inter illa castrum & oppidum Tangermünde, castrum & oppidum Garleben, oppida Stendal, Osterborch, Sehausen, Werben, castra Crumberg & Arneborch, quæ hodieq; potissimam partem veteris Marchiæ constituunt. Talis autem collatio nullum iratum vel offensionis incitamentum sed caritatis & benevolentiae vinculum esse poterat. Tertio, habuit Albertus II. Episcopus Halberstadiensis communem cum Imperatore hostem Johannem XII. cum quo eodem tempore ac animo gravissimas inimicitias exercuit.



Habuit *quartò* eandem litis caussam: beneficiorum scilicet in Germania vacantium iniquam & acerbam vindicationem, à Johanne isto in odium Imperatoris & Episcopi, contra deus Germaniæ, quoq; nimis audacter usurpata. *Quintò* paria perpeffus fuit hanc ipsam ob caussam cum Imperatore: excommunicationem nimirum Pontificis. *Sextò* paria quoq; fecit cum Imperatore, cum nihilominus, quemadmodum Cæsar Imperium, ita ille Halberstadiensem Episcopatum, invito & frustra fulminante Papa, retineret. Loquitur hac de re M. S. C. Magdeburgensium annalium ita: *Et sic prefatus Dominus Albertus de Brunswick ecclesiam Halberstadensem per 35. annos potenter occupavit, contra VELLE quatuor summorum Pontificum sibi invicem succedentium. Septimò* uterq; & Cæsar & Episcopus caussæ suæ Patronos invenit & habuit: ille Electores & Proceres Imperii; hic suum Capitulum. Omnibus nimirum displicebat ac intolerabile videbatur Papæ arbitrium de rebus Germano Romani Imperii liberi. *Octavò* monita & rescripta Imperialia, prout infra adducta sunt, benignum, placidum & amicum Cæsaris animum in Episcopum & Ecclesiam spirant. *Contrà nonò* habebat Bernhardus Anhaltinus III. quòd Cæsaris infestum animum merueret: tum ob beneficia feudalia, ab Alberto I. Patruo & Adversario in Imperatoris Primogenitum translata; tum ob suffragium Rudolphi Saxonis, qui Bernhardi III. Agnatus & intimus Amicus, uti documentum vetustissimum loquitur, Ludovicum Bavarum rejecerat & Fridericum Austriacum elegerat. Imperator enim talem & tantam injuriam difficulter concoquebat: unde & suum fratrem, Friderici partes secutum, ditione sua exturbavit. Hæc iudicia omnia ab hostili animo, quem Eclipsis pro lubitu fingit, quàm longissimè abeunt. Fortean optimus Imperator ideo infestus existimatur, quia invasionem ac spolium improbavit & restitutionem imperavit. Verùm hoc modo Eclipsis non solū

LUDOVICUM IV. sed omnes illius successores infestus habu-  
it, habebitq; in posterum tandiu, quoad restitutio facta fuerit.

S. 32. *Bernhardus Anhaltinus 1323. egerit, asserendo, Episco-  
pum tantum sua defensione usum, ac auxiliaribus, quamprimum eos  
prestò habere potuit, bona Ecclesie recuperantem, spoliatum commisisse, ac  
Anhaltinos suo feudo avito privasse.*

Præterquam, quod Eclipsis suum calum non ponit,  
sed fingit, omnia hic turbantur, resque cum tempore con-  
funduntur. Falsitas nimirum, sicuti veritas distinctionem  
& ordinem amat, vel maximè confusione delectatur & adju-  
vatur. Sciendum autem est, ea quæ hinc Eclipsis de auxilia-  
ribus & recuperatione adfert, non spectare, nec spectare posse  
ad tempus Alberti I. adeoque malè Bernhardus III. anno 1323. de ine-  
juriis sibi illatis conquesto opponi. Nam primam querelam ad  
LUDOVICUM Imp. Bernhardus II. Anhaltinus anno 1318. de-  
tulit, cum Frater Albertus I. Cleri suggestionibus victus, Feu-  
dum Imperiale Comitatus ASCANIÆ involare conaretur.  
Ventum quidem & tunc ad arma fuit; sed sine auxiliaribus ci-  
vibus tantum Ascaniensibus contra sacra homagii arcem, pro Vi-  
dua & Alberto I. res novas moliente, defendentibus. Quieve-  
runt tamen paulò post arma, mansitq; castrum & oppidum in  
manu Viduæ, solius dotalitii & nudi ususfructus nomine, nul-  
lo alio jure vel titulo. Postea cum Vidua Orlamundensi nuba-  
ret, finesq; sui juris excederet, Bernhardus III. querelam pa-  
ternam 1323. repetiit, non de invasione rerum alienarum, sed  
suarum defensione sollicitus. Quemadmodum autem neq;  
Hic, neq; Ejus Parens eatenus iniquè vel injustè egit: ita  
Eclipsis auxiliares copias & jactata recuperatio, seu veriùs in-  
juriarum cumulatio, sub Alberto II. Episcopo nihil, nisi iniqui-  
tatem & injustitiam, olent. Habuit quidem iste & adduxit  
auxiliares copias, incrementum quoq; sub eo sumfit & latius  
vagata fuit invasio: sed invito & prohibente Cesare.

At quis hos veros veræ defensionis & recuperationis terminos dixerit? Mandata Cæsarea, ab Antecessore tandem observata, pertinacius negligere, cupiditati cleri, ut eundem obsequentiosem habeas, plenius indulgere, agros Castri Anhaltini, hæcenus intactos relictos, civibus, ut pecuniæ vim imperatam lubentius solverent, distribuere, castra vicina Principum Anhaltinorum acerrimè tentare, & spolia spoliis cumulare, imò innocentem Familiam omnibus bonis, si possis, exuere, cum legitima defensione vel recuperatione nihil habeat commercij. Et istæ erant artes, isti modi Ecclesiæ bona recuperandi: h. e. aliena & Principibus Anhaltinis competentia invadendi. Interim tamen adèò delicata est nostra Eclipsis, ut Bernhardum de spolio commisso conquerentem audire nequeat, illumq; statim iniquitatis & injustitiæ postulet. Nimirum omnia, etiam avita bona, pro derelictis habere, & Cleri cupiditati se suaq; permittere, hæc utiq; fuisset egregiæ æquitatis & justitiæ argumentum: h. e., è re & ad palatum Ecclesios & Ecclesiæ.

*§. 33. cum tamen ex superioribus patefiat, liquidò non constitisse, nec adhuc constare, Comitatum Ascaniam naturam feudi masculini induisse, multò minus, si ea induta fuisset, juxta autonomiam Saxoniam præservatum fuisse.*

Gratulantur sibi Principes Anhaltini, quòd arbitri partes Eclipsi delatæ non fuerunt. Quamvis enim caussa liquidissimè justa sit, quam fovent; manifestè autem injusta, cui Clerus patrocinatur; tamen Eclipsis, consilio Ulpiani & Gellii exemplo egregiè abusa, facile juraverit: sibi nondum liquere: sibi nec hodie, nec unquam probari posse, quod apud alios omni dubitatione caret. Longo ordine stant Imperatores qui & Antecessorum suorum exemplo & praxi, & publicorū scriptorum testimonio edocti, multis quoq; aliis argumentis permoti tam qualitatem feudalem in Comitatu Ascaniæ, quàm jus simultaneum saluum tectumq; penes Anhaltinam Familiam lubenter agnoscunt. Sola Eclipsis adhuc hæsitat, & vel sic  
demum

§. 34. 35. 36.

63

demum causæ suæ injustæ ut colorem aliquem foeneretur, omnibus viribus nititur. Sed utriq; objectioni plenè respondimus. Et longè plurius faciendâ est fides & jussio Imperatorum, quàm jejuna dubitatio, vel simulata ignorantia eorum, qui adfectibus indulgentes, scientiæ eclipsin lubenter pariuntur.

§. 34. Non autem debuit esse in disposito, quod non fuit in supposito. Ex hac igitur infecta radice nullâ potuit legitima deterni executio.

Imò verò quia Bernhardi Principis & Manifesti præsupposita vera fuerant, ideo dispositio quoq; Imperialis adfectæ Familiæ succurrere debuit. Huic frustra & falsò infecta radix exprobratur: quam nec jaclata allodialis qualitas, nec etiam dissolutio conjunctæ manus seu peremptio juris simultanei, ut diu vidimus, inficere potuit. Secum autem eclipsin habitet, & radicis suæ, si modò quam habet, qualitatem perscrutetur. Quòd si radix dici meretur Ecclesiæ vel cupiditas vel ad rem alienam accessus, reperiet Eclipsin ibi omnia vitia, in materia possessionis reprehendi solita. Ista non solum inficiunt, sed penitus enecant omne illud, quod apud Ecclesiam radicis alicujus vicem sustinere debuit.

§. 35. Quàm verò fidei historice consona repetita de feudo Comitatus Haderleslebiensis assertio sit, ex superioribus manifestum evadit.

Nihil attulit Eclipsin ex fide historica, quod Manifesto Aseaniensi adversaretur. Et nos supra §. 18. & 19. ostendimus, non fuisse pugnantia, quæ ut contraria ab Eclipsi producuntur: neq; licere donatario, ut sub prætextu donati allodii simul & feudis ad alios spectantibus manus injiciat.

§. 36. Kroppenstetum verò non gavisum peculiari jure Comitatus unquam, sed locum istum ab Abbate Corbyensi legitime ad Halberstadiensem Ecclesiam pervenisse, eamq; hunc locum alii unisse, ac tandem civitatis jure donasse, apud Henricum Meybomium in Chronico Waldeccensi pag. mib. 2. §. Weith aber hernacher. videre licet.

N 3

R 1

Rationes, quæ Kroppenstetensi Comitatu hinc oppo-  
 nuntur, non stringunt. Neq; enim pugnant inter se invicem:  
*Fuit Comitatus quidam Kroppenstetensis: Et locus iste ab Abba-*  
*te Corbiensi ad Ecclesiam pervenit &c.* uti paulò post dicitur,  
 Meybomius quidem allegatur: sed ejus etiã diligenter quæsi-  
 copiam impetrare non potuimus. Et ignoscet nobis Eclipsis,  
 si difficiliore in fide allegationi adhibenda fuerimus. Didici-  
 mus *suprà in S. 10.* quomodo cum autoritate Contingii e-  
 gerit, & quòd ea quoq; Autori adfinxerit, de quibus nullum  
 verbum exstat. Semel itaq; & iterum suspecta haut tutò cre-  
 ditur. Id quidem & ab aliis traditur, pervenisse aliquando be-  
 neficio Comitum Kroppenstetensium nonnulla bona ad Abbatiam  
 Corbientem. Sed hi Kroppensteto jus & dignitatem Co-  
 mitatus simul largiuntur. Neq; etiam evertunt hæc sese mu-  
 tuo, sed possunt simul subsistere, *Comitatum esse, & quodam re-*  
*spectu ad Abbatiam vel Ecclesiam spectare.* Sic fuit, & est hodie  
 que Comitatus Suerinensis, quamvis in loco isto Episcopatus  
 introductus fuerit, ad quem nonnulla bona pervenerunt. Erat  
 autem possessor Kroppensteti antiquis temporibus Dn.  
 Sigefridus, Comes in *Gröningen & Kroppensted*, Frater Mar-  
 chionis *Geronis*, quem Fundatorem *Ecclesie Gerenrodensis* an-  
 nales celebrant. Occasio translationis in Corbientem hæc  
 memoratur. Amiserat Sigefridus Parens unici Filii & unicæ  
 Filie utramq; sobolem miserabili casu una eademq; hora, et  
 hinc, pertæsus secularium, monasterium Corbiense ingredie-  
 batur, bonis aliquibus eidem addictis, quæ jure proprio posses-  
 derat. Hæc bona autem nequaquam totum Comitatum ab-  
 sorbebant, multo minus confundebantur cum feudalibus:  
 sed in his relinquebatur Dominis Feudi directis, Comitibus  
 sc. Alcaniæ, jus salvum & integrum. Unde & locum istum  
*Gröningen Alcaniæ* Familie proprium fuisse, tum scripturæ  
 antiquæ, tum indicia prægnantissima probant. Et de *Kroppen-*  
*sted* antiquissima scriptura exstat cam in sententiam, quòd ad-  
 huc

Huc illo ipso tempore, cum anno 1223, à Bernhardo III. Comites Hadmerslebientes investituram acciperent, praesente Alberto I. Episcopo, viginti duo pagi ad eundem Comitatum & subfeudum Alcaniente pertinuerint. Distinguere itaque debuisset & olim Clerus Halberstadiensis, deficiente Comitum Hadmerslebiensium Familia, & nunc nostra Eclipsis, inter bona *allodialia* & *feudalia*. Illa, quocumque tandem modo ab Abbatia Corbiensi ad Halberstadienses migraverint, nemo in dubium vocat; haec autem Clerus per confusionem sibi familiarem & utilem, juri tamen haut consentaneam, cupiditati suae male applicuit. Idem & antea circa Comitatum Falckenstein accidit, ubi iterum *feuda Anhaltina* donationi salebrota, matri multarum discordiarum, immiscebantur, cum magna injuria Principum. Huic arti singulari ut favorem aliquem conciliaret Eclipsis, generalem finxit regulam: *Omnia bona Magnatum in Saxonia olim, seu Caroli M. aeo, mera allodia, fuisse.* Deinde in accipiendo singulari industria & artificio utendum esse censuit, ut discernenda miscerentur, & per hujus vel illius allodii donationem, seu praetextum, simul feudorum & integrorum Comitatum possessio invaderetur, memoria illorum, quantum in occupantibus erat, damnata & sepulta.

§. 37. *Qui Status Imperii temporibus Ludovici Bavari fuerit, ac quonam tandem res ejus devenerint, mavult Ecclesia Halberstadiensis se ad historias remittere, quam longa serie inculcare.*

**Prælium III.** Imperii Germano-Romani Status & antea, & **LUDOVICI** seculo turbulentus erat, non Imperatorum, sed Pontificum vitio. Imperatori Ludovico Bavaro nihil imputari potest. Aluit quidem inimicitias cum Papa, sed coactus, & tam pro bono Germanorum publico, quam publico suffragio Procerum. Res ejus è devenerunt, ut, Pontificis fulmine nequicquam obstante, & Imperator vixit, & Imperator mortuus fuerit. Invenit idem  
Pracones

Præcones laudum suarum egregios, rebusq; à se feliciter fortiter ac prudenter gestis per totum orbem Christianum inclamavit. Non possumus non in gratiam Eclipseos, quæ Ludovici res (invidia, an misericordia, dubites) dissimulandas putat, sequentia ex Elia Reusnero huc transcribere: **LUDOVICUS** in venatione apoplexia correptus, & ex equo delapsus natura concessit V. Idus Octobris A. C. 1347. triennio major sexagenario. Postquam inter maximas adversaciones & crudelissimas Pontificum exagitationes imperio præfuisset annis XXXIII. sex duntaxat demeritis diebus. Sepultus Monachii in ade Virginis Deiparae, Princeps Magnanimus, Pius, Justus, Libertatis Germaniae & Imperii adversus vim & tyrannidem Pontificum defensor & propugnator acerrimus & fortissimus. Bojaria regnum, quod lacerum accepit, locupletissimum reliquit: veteres Bojorum leges correxit, novas tulit, & quod mirum est, maximis calumniis irritatus, nemini unquam bellum intulit, inferentes tamen armis depulit.

S. 38. Et cum, ut supra dictum est, Ludovicus Imperator Episcopum & Episcopatum Halberstadiensem odio persecutus fuerit, & Anhaltini hac occasione utentes, rem suam quovis modo promovere studuerint.

Falsum hinc & in S. 31. Eclipsein de odio Imperatoris spargere, ibidem per aliquot evidentissima indicia planum fecimus. Et ne conjecturæ quidem scintillam ostendit nobis Eclipseis quod Imperator Episcopo vel Episcopatu unquam succensuerit. Quare et Principes Anhaltini malè traducuntur ista occasione usi, quæ nunquam & nullibi existit. Sed fuerit tandem Imperator his iratus: quid hoc ad Anhaltinos Principes? Nequaquam hæc occasio, sed temporis ratio & negotii qualitas illos ad causam suam orandam invitabat. Lis enim non poterat non in **LUDOVICUM IV.** incidere, qui, Otto ne diem suum 1313. obeunte, ante annum Imperator designatus fuerat. Et ad hunc, utpote veram feudi Dominum, deferenda erat querela feudalis, non ad alium; nisi ex  
mutua

mutua compromissi lege, Ordo modusq; agendi adhibebatur iste, qui juri & dignitati Imperii, fidei quoq; datæ & exemplis aliorum contentaneus erat: non *quivis*, multò minus illicitus. Contra de Clero Halberstadiensi verius dici potest, quòd occasione iniqua modoq;, seu artificio improbo usus fuerit. Huc spectant: *I. Persuasio*, qua Albertus I. quantumvis Princeps Anhaltinus inducebatur, ut plus daret Mitræ suæ honori & redituum augendorum cupiditati, quàm sanguinis necessitudini & sacrosanctæ Justitiæ præcepto. *II. Præoccupatio* Viduæ Ottonis, cui vel per simplicitatem, vel etiam per præmii ostentationem facile imponebatur. *III. Electio* Alberti II. Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis, qui præpotentia & obstinatione defendere potuit, quæ illicita concupiscentia invalerat. Nec aberrabimus, si dicamus, hanc legem præcipuam scriptam fuisse omnibus Candidatis istius Episcopatus, ut mordicus tutarentur ea, quæ aliis, imprimis & Anhaltinæ Familiæ, erepta essent. Sanè non ita pridem, in loco publico Tractatum Pacis, minister quidam Halberstadiensis scripto quodam divulgato rem istam proderè non erubuit. *IV. Disceptatio* Imperii circa electionem Ludovici & Friderici, aliquandiu protracta. *V. Dissidium* inter Ludovicum Imp. & Pontificem: non quidem, quòd illius excommunicatione Halberstadienses unquam approbassent, sed, quia tempus illud, Imperatore in varias partes distracto & magnis bellis implicito, contemnendis jussibus Imperialibus & justitiæ eludendæ satis opportunum videbatur. Functus quidem fuit Imperator suo officio. Competebat quoque ex huius & legis provisione Bernhardo Principi sua recuperandi facultas. Non deerant socii, et publico consensu et sanguinis propinquitate in partem auxiliorum vocati lectiq;. Sed Clero potentia suæ confusus facile prævidebat hæc remedia, quantumvis legitima et Imperiali autoritate munita, non fore diuturna, nec adversus tantam contumaciam satis valida. Quare et Comites Regensteinenses

O

sua



sua subsidia, agnato Bernhardo III. submissa, atrociter luere jussi, Episcopo & armis & arbitrii seu arbitramenti favore, longè superiori. Et solus Imperator superat, qui ejusmodi cupiditatibus reprimendis sufficere videbatur. Verùm & Hic, ut antea innuimus, absens, occupatus & disturbatus à Clero vilipendebatur. Dicat nunc Eclipsis ipsa, annon hoc sit & dici queat, occasione abuti, & modo iniquissimo rerum suarum satagere.

*S. 39. Ecclesia Halberstadiensis aliter salutis suae consulere non potuit, quàm ex hac circumstantia infestum judicem planè recusare, ac, subsequente excommunicatione Papali, inde exortas & enatas exceptiones tam contra ipsum Imperatorem.*

Duo hinc dicit Eclipsis: 1. Imperatorem infestum recusatum fuisse, & quidem *ex hac circumstantia*. 2. Exceptionem *excommunicationis* oppositam fuisse Imperatori. Sed ita quidem dicit: nihil autem probat, & donec hoc fiat, assertio ejus meritò ut suspecta rejicitur. Adferat, si potest, tantùm unicum hujus rei indicium: quando scilicet, ubi, quomodo & à quo recusatio illa facta fuerit. Enervet, si potest, nostra indicia in S. 31. quæ à justissimo Imperatore omnem irati & corrupti animi suspicionem procul amoverunt. Quia tamen, digito quasi exerto, recusationis causa ostenditur, nimirum temporis istius injuria & Pontificia excommunicatio, operæ pretium facturi erimus, si *hanc circumstantiam* diligentius perpendiderimus.

Consuluit aliquando Episcopatus Halberstadiensis Cancellarius P. B. Virum magnum, causæ istius Patronum, num Ecclesia hac exceptione tutò uti posset. Hic amicum suum graviter monere & rogare, ne, inconsulto impetu & atroci errore commisso, fidem ac eruditionem, causam quoque suam prostitueret. Antiquitati exceptionem talem nunquam placuisse, nec placere potuisse. Indignationem publicam mereri illum, qui talia auderet in medium proferre &c. Et sa-

nè ita est: *Exceptio inimicitiae & excommunicationis neq; opposita fuit unquam: neq; opponi potuit sine ingenti crimine.*

Non opposita fuit ab Alberto I. Episcopo:

1. Erat enim amicus Cæsaris, qua de re supra S. 31.
2. Idem Cæsareo mandato se monigerum præbuit, cum Bernhardo III. Hadmeislebienes investienti adfisteret.
3. Litis ortu tempore nondum prodierat excommunicatio, quomodo itaq; opponi potuit? Nam illa in annum 1318. hæc autem in finem anni 1323. quo Albertus I. mandato Cæsareo se submiserat, incidit.

Sed nec Alberto I. Episcopo tale quid adscribi poterit.

*Non recusatio:* dicit enim Eclipsis, recusationem præcessisse, & excommunicationem fuisse subsequutam. Cum itaq; excommunicatio in finem anni 1323. vel potius in annum 1324. inciderit, Albertus autem II. demum sub finem anni 1324. vel etiam anno 1325. electus fuerit, utiq; per tempus rationem recusatio excluditur. Absurdum quippe est, annum 1325. anno 1323. vel 1324. præponere.

Nec etiam *excommunicationis exceptio:* nam ipse Albertus II. excommunicatus erat 1. ab eodem Pontifice: 2. eodem tempore: 3. ob eandem causam, quia iussionibus & reservationibus, seu provisionibus Papalibus locum dare noluit: 4. cum eodem effectu: & c. diutius, quam Imperator. Quam itaq; indignitatem & ambitionem, avaritiam quoque Albertus II. ferre non potuit, an illius nomine cum contra Imperatorem insurrexisse putabimus? Notam, qua quis ipse premitur, nemo facile & absque pudoris violatione simili exprobrat: multò Minus inferior superiori, subditus Magistratui, membrum suo Capiti. Quo jure Episcopus contra Pontificem usus fuit, idem quoq; ex edicti naturalis æquitate, in alio, & quidem in Imperatore, admittere

debut ac voluit. In Imperatore scilicet, qui nihil nisi consensu & decreto publico contra Pontificem egit, cum Episcopus sui tantum Capituli suffragio gauderet. Alioquin excipiendus fuisset eodem modo, quo CHRISTUS Salvator hypocritam alloquitur: *Quomodo potes dicere fratri tuo? Frater mi, sine ejiciam festucam ab oculo, cum ecce trabs, quæ est in oculo tuo, non conspicitur tibi? Hypocrita, ejice prius trabem ab oculo tuo, & tunc conspicietur à te ad ejiciendum festucam ab oculo fratris tui.* Et incurrisset notam Pauli Apostoli ad Roman. 2.: *In quo judicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim facis tu, qui judicas.* Hoc autem de Alberto II. ideò statuere non possumus, quia nemo sibi ipsi dicam scribere velle intelligitur. Et à bono viro, multo magis à Principe, procul abest, propriam turpitudinem allegare.

Sequitur alterum membrum: *quòd excommunicatio nec olim opponi potuerit, nec hodie possit.* Quid senserit olim nostra pura ac libera Germania & vicina Gallia de ejusmodi conatibus Pontificum, vel ex hoc colligere possumus. Cum aliquando fama esset, Papam Gregorium excommunicaturum Ludovicam Pium, vox hæc fuit vulgaris Episcoporum Galliarum & Germaniarum: *Si Papa venit excommunicaturus, excommunicatus discedet; quia aliter se habet antiquorum auctoritas Canonum.* Et jam sub finem seculi duodecimi, vel initio decimi tertii, in codicem legum Saxonicarum hoc transit: *Papa non potest, nec aliquis alius, Dominum Imperatorem excommunicare, postquam consecratus est & unctus, nisi solum in tribus causis: Si dubius sit in fide: si repudiet uxorem suam legitimam: si destruat Ecclesiam.* Quid autem de excommunicatione LUDOVICI IV. Imp. dicendum sit, cuiuslibet Viro Germani & sinceri pectoris historia superiorum temporum & iudicium istius seculi facile suggeret. Eclipsis in S. 37.

silentium hac de re tutius putat : sed poscit optimi Imperato-  
 ris innocentia, ut *causam* istius excommunicationis & *judi-*  
*cia* primis saltem labris degustemus. *Causa* erat unica, nec  
 alia, Hildebrandina, factionis sententia, diu consensu publi-  
 co explosa & damnata, quæ Pontifici supremum jus in Impe-  
 rium asserere conabatur. Hanc enim & litem inter Frideri-  
 cum Imp. & Adrianum agitaram Johannes XXII. resuscita-  
 bat. Vnde incorrupti Autores istius seculi scribunt : *Papa*  
*eiusq. Asseris suspectam fuisse crescentis LUDOVICI potentia-*  
*am & renascentem Germanorum concordiam. Papam vendicasse sibi*  
*supremum in Germanos Imperium. Eundem voluisse, ut Imperi-*  
*um esset Feudum sedis Pontificia. Ut sibi jus creandi & deponendi*  
*Imperatores competeret. Ut, duobus simul electis, Pontifici admi-*  
*nistratio Imperii concederetur. Omnia paucis : UT UNUS*  
*PRO LUBITU POSSET OMNIA.* Quod si ergo  
 sententia ex causa notoriè falsa & injusta lata nullitatis vitio  
 laborat ; utique & hoc de hac excommunicatione rectè dici-  
 mus. *Judicia* quod attinet, legi possunt ea, quæ apud Gola-  
 dastum exstant, ubi gloriosissimus *Imperator* innocentiam su-  
 am pluribus persequitur. *Primò*, inquit, *Papa potestatem ta-*  
*lem non habet in temporalibus & supra jura imperii. Quicquid*  
*fecit, illud fecit è causis notoriè falsis, nullo servato fori seu juris*  
*ordine. Provocatio quoque facta fuit ad generale Concilium.*  
 Nec suam, sed Imperii totius causam hîc egit Cæsar ; unde  
 nec suspectum potest esse ejus iudicium. Invenit præterea  
*Reges*, qui calculum suum publicè adjecerunt : EDUARDUM  
 nimirum, Regem Angliæ ; JOHANNEM, Regem  
 Bohemiæ ; CAROLUM, ejusdem Filium, postea Cæsa-  
 rem. Quin & *Benedictus XII.* in eandem sententiam descendit,  
 cum nec precibus, nec pretio, nec minis nec persuasionibus  
 flecti posset, ut excommunicationi Johannis XXII. robur ali-  
 quod commodaret.

Exstat ejus responsio apud Lehmannum, (Cardinalibus de Ludovico Imp., quod multa contra Ecclesiam fecerit, conquerentibus, data in hunc modum: *Imò nos fecimus contra eum, & quicquid ille fecit, quasi provocatus fecit. Idem Benedictus, scribit alius, nuntius Imperatoris in aurem flens quasi conquerebatur, quod ad Principem esset inclinatus, & quod Rex Francia sibi scripserit certis literis si Bavarum sine eius voluntate absolveret, pejora sibi fierent, quàm Papa Bonifacio à suis prædecessoribus essent facta.* Inprimis autem Electores, Principes & Ordines Imperii aliquoties excommunicationem istam in publicis Comitibus damnarunt. Unde & factum, ut, qui a iter sentiret, *veritatis osor, pacis conturbator, hostis reipublica, inimicus pietatis, & quæ alia longè pejora apud Goldastum & Lehmannum leguntur, haberetur.* Additum, ut talis omnibus feudis, gratiis, jurisdictionibus, privilegiis & immunitatibus exueretur. Itidem ut crimen *lesa Maiestatis* incurreret, & pœnis omnibus subiaceret. Rebdorfius in suis annalibus ita scribit: *Quicumq; de cætero Ludovicum tenet excommunicatum, aut qui cessat à divinis propter sententias Papales, proscribitur sit corpore & in rebus.* Ad Benedictum XII. scribant omnes Electores, nemine excepto: *Et nobis constitit evidenter ex processibus quondam Domini Johannis Papæ XXII. Prædecessoris vestri, quod ipse primò & postea sententias excommunicationis & interdicti (si sic dici meretur) ac alias diversas sententias de facto, contra DEUM & justitiam, & juris ordinem fulminavit contra prædictum Dominum nostrum Romanorum Imperatorem.* Idem Electores postea cum Clemente VI. hac de re agebant, exspectantes finem huius Tragœdiæ. Ille autem in legibus ferendis uti promptus, ita & durus exstitit, tali responso reddito: 1. *Ut Imperator Wilhelmum Occam Patronum Imperialis causæ dederet.* 2. *Ut acta contra Pontificem rescinderet.* 3. *Ut edicto sanciret, Imperium esse Papa beneficium.* 4. *Ut fateretur, se esse hereticum.* 5. *Ut Imperium deponeret, nec nisi ex voluntate Papæ resumeret.* 6. *Ut se ipsum, liberos & omnes ditiones in manus Pontificis traderet.* Quid ad

ad hæc postulata Ordines? Conulti statuunt publicè: *Postulata Pontificis esse prava, inepta, antiquata, argutiora deniq, quàm ut simplicitati Christianæ & Maiestati Imperii conveniant. Itaq, irrita & vana declarata sunt, cum Papa putet, sibi licitum, quod libeat.* Huic decreto & Johannes Bohemiæ Rex & Filius ejus Carolus subscripsit, & legati missi sunt, qui hæc Pontifici exposbrarent.

Atq; hæc erat mens *Imperatoris, Regum, Pontificis & totius Imperii Germano-Romani*, cum excommunicatio iniqua prodissset: à qua orbitâ subsequens ætas nequaquam dimovebatur. Hinc omnes Successores in Imperio & LUDOVIC M IV. in Antecessorum numerum lubenter retulerunt, & tam publica, quàm hæc Ascaniensia Acta calculo suo adprobârunt. Nemo Imperatorum eò deduci potuit, ut se Vasallum Pontificiæ sedis fateretur. A FERDINANDI I. Imp. ætate nemo fuit, qui se Papæ obedientiæ juramento obstringere voluerit. Et tamen nostra Eclipsis in publicam Imperii legem, in ejusdem dignitatem, consensum multorum seculorum & ipsam innocentiam insurgere haut erubuit! Viderit ipsa, quid eiusmodi audaciæ & temeritati reponendum sit. Quemadmodum is, qui innocentem excommunicat, mortaliter peccat, & talis excommunicatio in caput excommunicantis redundat: ita nequaquam innocens est, qui ab ejusmodi excommunicatione præsidium suæ cupiditati mutuatur.

*Deniq, & hanc ob causam exceptio excommunicationis nullius virtutis est: quia LUDOVICUS perperam excommunicatus nihil jussit, nisi quod ante excommunicationem jusserat. Quare spectat huc vulgata regula: quòd acta, gesta, rescripta & decreta ante depositionem sint maneatq, valida, etiamsi quis postea ex justis causis depositus fuerit.* Non addimus, quòd Eclipsis de Imperatore, Regibus & toto Imperio longè vilior rem opinionem, quàm Ulpianus de suo Barbario Philippo, servo Romano fovcat,

S. 40 quæ in partes ejus sequentem Ottonem, Magdeburgensem Archipresulem, ut & Ulricum de Bebenburg, Commissarium Casari, opponere, simulq; deducere nullitatem & iniquitatem investiturae.

Æquè crassa est hæc falsitas, atq; superior, sive factum, sive jus spectes. Facti indicium nullum adducitur: alia autem, quæ contrarium inferunt, nobis sunt in promptu. De jure adhuc minor est dubitatio. Opponimus itaq; Eclipsi hanc negativam: quod Otto, Landgravius Hassiæ, Archipresul Magdeburgensis nec recusatus fuerit, nec de jure recusari potuerit.

Non fuit recusatus: nam primò hæc de re nullum exstat indicium. Secundo, ipsa Eclipsis fatetur, laudum ab Ottone pronuntiatum fuisse, quando postea dicit, quòd illud ad peculiare processus pertinuerit. Unde sequitur tertio, quòd Albertus II. Ottonem non minùs, quàm Bernhardus III. arbitrum elegerit, adeoq; mutuus contentus accesserit. Quarto, Albertus II. adjunxit suo nomine supremo Arbitro suum Decanum, Jacobum, hominem sagacissimum & expediti consilii. Quarto, Otto Archiepiscopus non minùs Alberto II. quàm Bernhardo III. scripto publico, quod ad manus est, fidem fecit, se pronunciaturum, quod justum & æquum esset. Erat, quinto, Amicus Halberstadiensis Episcopi, quocum circa decimas Gunnerschlebienses & Bornstedenses paulò antè contractum permutationis inierat. Deniq; sexto, recusatio ista pugnat cum omni verosimilitudine. Quis enim, quæso, per ardentissimam febrim dicere ausit, Ottonem propter Imperatoris excommunicationem recusatum fuisse ab Alberto II. Episcopo? Ille, intermedia provisione Papali, Archiepiscopatum, rejecto Comite de Stalberge seu Stolberge, obtinuerat: Hic eadem neglecta & impugnata Episcopatum adeptus erat. Ille erat amicus, hic hostis Pontificis. Ille, ut fulmen Pontificis expavesceret, nullum causam habebat. hic jam tactus erat, & de Episcopatu propterea periclitabatur. Eclipticum  
Dæ

Dædalum dicemus, si ex his recusationem jaçtatam producere potuerit.

*Sed nec recusari potuit Otto.* Non sui ipsius intuitu: Nam de ejus speciali excommunicatione iterum nihil constat. Nec Imperatoris nomine: quia obstant causæ suprâ adductæ. Sit tandem ita, quòd Otto meliora edoctus, & provisionum istarum arcano intellectu, Cæsaris, non Pontificis amplius, partes secutus fuerit. Nihil tamen aliud perpetravit, quàm ipse Albertus II. & totum Imperium. Ac quamvis anno 1346. ad Clementis VI. buccinam Ordines Imperii non nihil dissidere cœperint, Trevirensi, Coloniensi, Bohemo & Saxone Carolum IV. eligentibus, cæteris verò LUDOVICO Imp: de novo fidem jurantibus: tamen nec inde excommunicationi injustæ aliqua autoritas accedere potest. Nam quod ab initio vitiosum erat, postea convalescere non potuit. Episcopus quoque Albertus II. tunc temporis non minùs, quàm antea, eadem exceptione excommunicationis repellatur: quanquam nec constet, quòd ille electioni novæ Caroli IV. adhæserit. Testantur insuper scriptores, quòd nihilominus LUDOVICI Imp. partes & jura eminuerint & Carolus ipso vivo nihil pro imperio egerit. Tandem acta anni 1346. non poterant ad annum 1370. adeoq; nec ad laudum Ottonianum retrò trahi.

Subjungit Eclipsis, tum temporis cum Imperator & Otto Archiepiscopus recusaretur & excommunicationis exceptio utriq; obiiceretur, ab Ecclesia *nullitatis & iniquitatis* deductione exhibitam fuisse. Quia verò antecedens falsum fuit, ideo de falsitate consequentis minùs dubitabitur. Dicat tandem, ubi, & quomodo restanti momenti suscepta & expedita fuerit. Imperatori LUDOVICO de tali negotio nihil constitisse, vel inde concludimus, quòd Episcopum ad causam, si quam haberet, dicendam vocavit, & tam Capitulum, quàm Aicanenses hoc nomine monuit, Otiosam certè &



imprudentem citationem quilibet hanc non injuria dixerit, deductione nullitatis & iniquitatis antehac exhibita. Id quidem est in propatulo, Episcopum non verbo, sed ferro, non legibus, sed armis, non calamo, sed gladio in deductione sua usum. Qui autem nullitatem & iniquitatem hoc modo deducit, ille dignus est, ut causa quoque liquidissime à justa cadat.

*§. 41. nam quæ de laudo in medium producuntur, sunt ægri somnia, ac ad peculiare processus ac causas separatas non verò huc pertinent.*

*Ægri somnia itaque non tam Anhaltinis Principibus, quam Imperatori LUDOVICO imputantur cui laudum Ottonianum & repetitæ jussionis & decretæ executionis idoneum & justum, sufficiens quoque fundamentum videbatur. Ita enim infrà lit. E. n. 7. loquitur: Et volumus, ut vigore harum nostrarum literarum eidem prædicta possidenda tradat, perinde ac si ipsi præsentesset, Et quemadmodum Reverendus Otto Archiepiscopus Magdeburgensis, Princeps noster in suo laudo pronuntiavit.*

Nec LUDOVICO tantum, sed & Divo MAXIMILIANO I., qui omnia Ludovici rescripta & jussa sua fecit, ita ægri somnia ad finguntur: imò omnibus Successoribus in Imperio. Egregiam verò Eclipseos modestiam, & insigne venerationis indicium, qua summos Principes, suprema Christianitatis Capita prosequitur! Commentum quoque est quod de peculiaribus processibus & causis separatis adjicitur. Formula Ludoviciana, si non aliunde, satis ad patet obiectum istius laudi, quod Bernhardus III. coram Imperatore ediderat. Complectebatur illud bona Bernhardi, feudi vexillais nomine venientia: adeoque laudi Ottonianæ, Bernhardinæ querelæ, Ludovicianæ jussionis atque executionis una eademque materies.

materies erat, non diversa. Absurdum est, tantam vel iniustitiam, vel incordiam Imperatoriae Majestati & supremo Senatui adscribere, ut inter causas separatas distinctionem necessariam vel sciens prudensq; neglexerit, vel imprudens non satis animadvertent.

*§. 42. animadvertentes verò Anhaltini, exceptiones Ecclesie in facto veras radicem omni jure firmatam habuisse.*

*IV. argumenti initium contra privilegium Maximilianum: quod iniuriam & imbecillitatis insinuat.*

De exceptionibus suae Ecclesiae Eclipsis frustra gloriatur, sive factum, sive ius intueamur. Nihil hic repererunt haecenus Anhaltini Principes, quod metuerent, & cui alia via obviandum esset. Argumentum querelae Anhaltinae perpetuum fuit, estq; adhuc hodie, quod Ecclesia neq; juris neq; facti veritate subnixam, de facto tamen, & contra legem atq; Imperatorum iussa, illicitè detineat, quae diu restituenda erant. Et quod Ecclesiae oppositio violenta & contemptus altissimas radices, nullis praecipis & legibus cedentes, egerit. Nihil ex adverso Anhaltina Familia magis in votis habuit, quam ut praevaleant ea, quae in facto vera, & in omni jure firmatam radicem haberent. Haec si obtinuissent, jampridem Ecclesia spoliata sibi extortum & veris Dominis Comitatum redditum procul dubio acerbè lugeret.

*§. 43. alia rem aggressi sunt via, ac, inscia Ecclesia, obtinuerunt à Maximiliano I. Imp., aliis optimo totius Christianitatis Principe, confirmationi insertam abolitionem praememorarum Ecclesiae defensionum, id quod in vulgato Manifesto confiteri non erubescunt.*

Larvam defensionum, qua Eclipsis incauto Lectori in antecedentibus imponere voluit, haecenus ostendimus. Quae cum nullae fuerint, malè Eclipsis de illarum abolitione queritur. Malè iterum abolitionis istius autor Maximilianus I. Imp., constituitur, qui Antecessoris sui acta & gesta, utpote juri consentanea, & Ecclesiae praetextum improbantia novo sui

privilegii vigore animaverat & armaverat. Iniquissimum videbatur *optimo*, quem *aliàs* quidem, non autem in hac causa, talem Eclipsis admittit, Imperatori, si prætextibus Ecclesiæ diu damnatis illum valorem permitteret, vel etiam legitima remedia Ascaniensi causæ subtraheret ac negaret. In vitabant illum non modò iura liquida & vestigia LUDOVICI IV. sed etiam Caroli IV, adhuc vivo Ludovico electi Cæsaris. Hic enim, quantumlibet illius AntiCæsar, rerum tamen potitus non minorem, quàm ipse Ludovicus, favorem justæ Anhaltinorum causæ impendit: Adversarii sui vestigiis diligentissimè observatis. Quin & cautionem sub evictionis periculo, Anhaltinis Principibus concessit, fore, ut executio à Ludovico demandata primo quovis tempore fortius repeteretur. Hoc nomine ut rubore aliquo Principes Anhaltini perfunderentur, & tam scriptæ, quàm animatæ Legis auxilium concessum in celeberrimo Conventu dissimularent, nullam idoneam causam invenerunt. Frontem autem suam, si quæ adest, Eclipsis perfricet, quòd in tanta luce de spolio suo triumphare, & ut eidem aliquem colorem foeneraretur, optimis Imperatoribus haut leviter insultare, eam non puduerit.

S. 44. Quin autem ac insit, ac etiam ommissa clausula, salvo jure tertii, pro expressa habeatur, eiusmodiq; ad instantiam unius partis emanatis mandatis, rescriptis & confirmationibus in perpetuum exceptiones sub: & obreptioni rectè opponantur, nemo est, qui dubitet.

In privilegio O. MAXIMILIANI clausulam, salvo jure tertii ommissam fuisse, & quidem consultò, integer eiusdè contextus lit. E. docet. Eandem omitti debuisse, facillè ex causæ qualitate cognoscebatur. Nam sacratissimus Imperator spolio, contra manifestas leges & præcepta sui Antecessoris commissio, nullo modo, ne quidem per talem clausulam, patrocinari poterat. Satis superq; contrà sciebat, toto cœlo differre clausulam: *Salvo jure tertii: Et salvo jure spolii.* Illam in tanto intellectu admitti debere ac posse: hanc nequaquam. Et quid Cæsarea  
Ma-

Maiestas in hoc negotio tandem voluerit, hoc ipsum per alias clausulas exponitur. Compendium earum subiicimus.

Prima est: *Ex certa scientia*. Hæc magnæ & specialis derogationis vim obtinet, ad eò quidem, ut hac adjecta jus in re aliqua quæsitum alteri adimendum esse intelligatur. Hæc quoq; adversario perpetuū silentiū injungit, facitq; ut vel hanc solā ob causam dignus habeatur, qui à limine iudicii repellatur.

Alterā: *Sufficienti causæ cognitione prævia*. Quæ per aliam sibi cognatam, *premissis maturo consilio*, firmatur & enixam voluntatem arguit. Hæc verba, ut Icti scribunt, & Praxis solennis testatur, fidem Principis augent ostendunq; nihil fieri vel factum esse, nisi ex causâ iustâ & legitima. Unde Princeps de his rationē reddere hauri tenetur, quæ facit prævio Sapientū consilio. Et de ejusmodi clausulis prona & prompta, iusta quoq; præiudicandi, nocendi, tollendi, auferendi voluntas colligitur.

Tertia: *Non obstante*. Hæc iterum, maximè præcedentibus adjuncta, *specialis derogationis* vi pollet, ad eò ut communiter dicatur in magnum & notabile alterius præiudicium vergere.

Quarta: *Ex plenitudine potestatis*. Ejus virtus prolixè exponitur à Ictis, inter alios quoq; à Menocnio *conf. 264. n. 79. conf. 1238. n. 12*. Pleriq; hanc de illa opinionem fovent, quòd ei nihil opponi queat. *Principem hac sua potestate posse omnia: ad eò ut eidem plenitudine tali utenti dici nec debeat, nec possit: Cur ita facis?* Quod nos quidem de usu vero ac legitimo accipimus. Et stat adhuc communis Doctorum opinio, quòd Princeps supremus vigore huius clausule jus alteri quæsitum, saltè civili modo, tollere possit. Inspiciantur hac de re illi, quos Marpurgenses *vol. 3. conf. 19. n. 134*, laudant.

Quinta: *Propter bene merita*. Hoc casu ius tertii à summo Principe tolli posse iterum communiter traditur. Nulla enim maior causa esse potest alienius concessionis, quàm publica utilitas, seu remuneratio facta pro conservatione Status Imperii Romani vel ipsius Principis. *Marpurg. d. conf. 19. n. 136.*

His clausulis omnibus & singulis vel ideo major vis in-  
erit, quia hic nequaquam de jure quaesito alicui auferendo a-  
gitur. Quid enim juris sibi Halberstadienses tribuere possunt  
in materia spoli, & ubi nulla iuris, multa vero facti & violen-  
tia indicia occurrunt? Nihil praeterea hic novi conceditur,  
sed ea tantum muniuntur, quae familiae Anhaltinae omni jure  
competebant: ut antea ostendimus. Et in §. sequenti nubes  
cula ista *de jure per praescriptionem completam Ecclesiae quaesito*, fa-  
cile dissipabitur.

Hae cum ita sint, male quoque & sine ullo effectu *exceptio  
sub: & obreptionis* objicitur: qua hodie quidem ad causas  
injustas velandas vel protrahendas nulla frequentior, nulla  
pejor. Nam clausulae superiores omnes & huic elidendae suf-  
ficiunt. Narrata quoque, quibus D. MAXIMILIANUS I. ad  
concedendum privilegium movebatur, non erant amplius  
Anhaltinorum Principum, sed actorum publicorum, tam fa-  
ctum ipsum, quam veras ejus qualitates continentium, Nihil  
dissimulabant, quod supremo Principi successori aliam, &  
Antecessori contrariam sententiam suggerere poterat. His  
autem circumstantiis concurrentibus *exceptio sub: & obreptio-  
nis*, cujuscunque tandem sit favoris vel virtutis, iterum merito  
rejecitur,

§. 45. *Principem vero, ne aliquis audiatur, sed insons condemnetur, &  
ut jura per praescriptionem completam quaesita tollantur, nec voluisse, nec  
potuisse credendum est.*

Verlamur in perspicuis, adeoque nulla conjectura opus est,  
quid Imperator MAXIMILIANUS I. voluerit. Quid vero  
potuerit, praesertim in publicis Comitibus Imperii & adhibito  
intimo Septemvirorum Senatu, de hoc respondent Juri &  
Politici, interque eos Antonius Gabriellus & Petrus Antonius  
de Petra in tractatu de potestate Principis. Hi plenius exponunt,  
quid, quando & quomodo aliquid possit Princeps: in primis  
cum de jure quaerendo, non quaesito, vel etiam de jure per mo-  
dum

dum merè civilem quæsto agitur. Omnes ultrò fatentur mun-  
niti rationibus, autoritatibus & præjudiciis quòd jus per præ-  
scriptionem impetratum à supremo Principe tolli possit.  
Longè fortius hoc dicendum erit de impedimento legitimo.  
ne tale jus, quod obtinatum nicè in elusionibus & protractio-  
nibus situm putant, acquiratur. Multa quidem hîc Eclipsis  
paucis verbis complectitur, quæ apud ignaros plausum exci-  
tare possunt; sed ficta sunt, quæ spargit.

Dicit: *Principem non posse efficere, ne aliquis audiatur, sed  
insons condemnatur.* Atrocicia sunt hæc verba, & in optimum  
Imperatorem MAXIMILIANUM I. vel maxime injuria.  
Nam tale quippiam, quod Tyrannorum proprium est, Vero  
Principi nunquam in mentem venit. Noverat hic, non agi  
de Ecclesiæ inauditæ rejectione & insonis condemnatione:  
sed de auditæ & condemnatæ spolio, cui, ab Antecessore diu  
improbato omnis ulterior prætextus adimendus erat. Audi-  
tus erat Episcopus Albertus II. damnatus quoq; ab Ottone  
Archiepiscopo. In hujus arbitrium consenserat Episcopus.  
Et præsumebatur laudum justè & secundùm juris ordinem  
pronunciatum, tum ob adjunctionem Canonicorum & Prin-  
cipum Imperii; tum ob antiquitatem causæ: tum quia su-  
premo Principi placuerat. Hujus præterea rescripta & mo-  
nita loquebantur, vel tacentibus Principibus Anhaltinis,  
quod Episcopus benignè compellatus fuerat, facta illi potesta-  
te, ut veniret, & jura sua, si qua haberet, ostenderet. Quid hîc  
MAXIMILIANO Imp. faciendam erat? Non poterat salva  
conscientia eum inauditum vel insonem dicere, qui auditus  
& damnatus erat ab Arbitro: quiq; vocatus amplius compa-  
rere & auditum volebat. Porro & justitiæ adversum deprehen-  
debat, si violentiæ ulterius habenas laxaret, & Clero  
temporis iniquitate abutenti ad sequiorem abusum novam  
fenestram vel aperiret, vel apertam diutius relinqueret. In-  
cassum proinde laborat hîc Eclipsis, quando causæ auditæ  
damnatæ

damnata & profligata ab honestis vocabulis aliquam innocentiam emendicare conatur.

Dicit Eclipsis porro: *Jura per prescriptionem quaesita tolli non posse.* Quod certo respectu hoc fieri possit, docent alii, muti quidem, sed & incorrupti causa rum Patroni. Nos autem hoc in loco nondum illum lapidem volvimus. Hos dicere & demonstrare debebat Eclipsis; quod, et quomodo Ecclesia jura per prescriptionem completam acquisiverit. Jctus Gajus perfectum vel completum nihil putat, nisi quod ex omnibus suis partibus constat, ad quas origo quoque pertinet. Quomodo itaque hic praescriptio completa dici potest, quae ne initium quidem capere potuit? Vulgata sunt, quae ad inchoandam & perficiendam praescriptionem requiruntur: 1. Nimirum *Bona fides*: 2. *Legitima possessio*: 3. *Titulus justus*: 4. *Res vitio non adfecta*.

Primo notum est ex superioribus, quod Ecclesia *bona fide* prorsus destituta fuerit. Non poterat non laborare mala fide, cum *Ottone defuncto* Comitatum & feudum Imperii jam à vero successore occupatum & possessum involaret. Sciebat, unius Agnati obitum, sine masculis, nequaquam viam aperire invasionibus; Bene autem successioneibus, ad quam etiam ex transverso superstites à lege vocantur, non peregrini vel extranei. Nec latebat Ecclesiam, nemini, etiam si maximè vellet, competere in ejusmodi bonis alienandi licentiam in fraudem & praesudicium totius Familiae. Imò ignara erat, rem illam alienam nullo modo ad se pertinere. Contra jus Canonicum, ex quo praescriptionum materia etiam in foro seculari deciditur, nullam usucapionem probat sine bona fide: ne quidem eam, quam longissimi temporis & immemoriam dicimus. Adeo ut, juxta communio rem & verio rem, mala fides non modo per triginta annos, sed etiam usque ad millia millium annorum opponi queat, quomodo ex Orlando de Curte Cravetta alibi loquitur, Neq

Necq; hoc tantum: sed & quovis tempore, *sub initium, in medio & fine* BONA FIDES requiritur. In jure prædiorum, inquit Augustinus, *tamdiu quisq; bona fidei possessor rectissime dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum. Cum verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc mala fidei possessor perhibebitur: tunc justè injustus vocabitur.* Ratio hujus requisiti redditur in c. ult. X. de præscript. *Quia contra conscientiam facit, & peccatum mortale committit, qui rem alienam detinet. Peccatum illud non remittitur, nisi ablatum restituatur.* Et alibi dicitur, *ad gehennam edificare, quicquid fit contra conscientiam.* Innocentius III. in concilio generali utitur hanc in rem dicto Apostoli: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Nam intelligitur non factum ex fide, quicquid committitur contra bonam & sinceram fidem, & contra animi conscientiam. Quod autem non ex fide, sed peccatum est, illud sub præscriptionem cadere non potest.

Secundò alterum requisitum, *vera nimirum seu legitima possessio* Ecclesiam quoq; deficit. Quibus vitiis detentio ejus inquinata sit, quia supra hac de re egimus, nolumus hîc cum fastidio repetere. Certum ex adverso est, quòd Anhaltini Principes *possessionem saltem civilem* semper & in hanc horam usq; retinuerint. Atqui contra civiliter possidentem nunquam præscribitur: ne quidem per mille annos, maximè in feudorum materia. Atq; hoc verum est, etiamsi præscripturus naturaliter possideat. Nam naturalis possessio sola nunquam, bene autem civilis, licet sola sit, ad præscribendum sufficit.

Tertiò *titulus itidem justus* deest: id quod supra in §. 1. & 23. nec non in notis ad Manifestum Alcaniense pluribus indicatum fuit. Denique (& hoc *quartum* impedimentum est) *res erat vitio adfecta*, adeoque iterum, quomodo nostri loquuntur, impræscriptibilis: etiamsi in manus tertii, & quidem puriores incidisset, & per mille manus ambulasset. Cumque bona spoliis morbo laborantia



ne tali quidem casu præscribi possint; longè minùs erunt apta  
materies ulucapionis, si adhuc penes eum reperiantur, à quo  
viti & impedimenti culpa proficiscitur.

*S. 46. Hac enim ratione, quæ multū vigiliis excogitata, abole-  
rentur, possessor in perpetua anxietate & dolore relinqueretur, do-  
minia rerum incerta redderentur, ac semel oclusas januas quivis ma-  
litiosus seorsum reseratas inveniret, litiumq; immortalitati causa prabe-  
retur.*

De causa quidē finali multū dicit Eclipsis. nihil de materia vel  
forma. Illa autē sola ad præscriptionē haut sufficit: necessū est,  
ut & cæteræ concurrant. Et vix quid absurdius excogitari po-  
test, quàm si has causas finales ad patrociniū manifesti spoliū,  
invita prorsus Jurisprudencia, trahere velimus. Hæc cinē fuit  
mens Legislatoris, ut ita violentiæ præsidium & lucrū quærere-  
tur? An merentur illi vigilias, & quidem multas, qui res alienas  
invadunt? Num injuria infertur iis, si in perpetua anxietate &  
dolore relinquantur? Nec habet Eclipsis, quòd vel *incertitudi-  
nem dominiorum, vel immortalitatem litium* metuat. Nam sole  
meridiano clarius est, dominium Comitatus Aleaniensis spe-  
ctare ad solos Principes Anhaltinos, nec ullos alios. Hoc per  
injustam invasionem & detentionem illis nec eripi, nec et-  
iam incertum reddi potuit.

Quod autem de *malitioso & litium immortalitate* adne-  
ctitur, hoc ipsum Eclipsin nostram jugulat. Adeat S. 68. (supe-  
riora per multos paragraphos adducta indicia iterum adferre,  
supervacaneum aut saltem tædiosum erit) & intueatur illud  
speculum, quod Ecclesiæ morem & adfuetudinem bene ve-  
terem omnibus repræsentat. Ibi non sine rubore discet, quis-  
nam *malitiosus* dicendus sit, & cui *litium immortalitas* imputa-  
ri debeat. Qui concessis remediis suum persequitur, non jure,  
sed adversarii elusione diu impeditus, huic janua ad suum re-

superandum unquam occludi nec potest, nec debet. Quem admodum illi male patuit, nec parere debet unquam, qui alienis bonis sciens volensq; manum iniecit.

§ 47 Quod quam pro ul absit a bono Principe, ad bonum publicum & Reipub. nato (qualem certe fuisse Maximilianum I. induit esse poterit prime Camera Imperialis ordinatio) nemo est, qui non videat ac manibus quasi palpet.

MAXIMILIANUM I. Imp. bono publico donatum fuisse, nemo est, qui non fateatur. Nec magnitudo Principis Virtus in eas angustias redacta fuit, ut in ordinatione Camere omnis eius laus absolveretur. Meruit & alia encomia, quæ Constitutio Pacis Publicæ, sublatio Westphalici iudicii, Constitutio Regimenti, Distributio Imperii in circulos & labores immensi, domi forisq; pro dignitate & incolumitate Germanorum exantlati pepererunt. factis eius de prædicandis & hoc additur, quod Decano & Capitulo Trevirensi, qui Comitem quendam apud Pontificem in jus vocaverat, hanc ob causam proscripto Germanici juris strenuus Vindex exstiterit. Huius Optimi Imperatoris gloria nequaquam ideo deteritur quia Anhaltinam causam lartam rectam esse voluit. Quid enim hinc designavit, quod bono Principi adversaretur? Nihil certè eorum, quæ Eclipsis in §. precedenti quidem vera, in nostra autem hypothesi planè falsa in medium attulit. Nec de tultoria quadam facilitate ad concedendum privilegium perductus fuit Cæsar: sed causa diligenter inspecta, in loco publico & primorum suorum Comitiorum luce. Subscriptio privilegii indicat, venisse in partem huius consilii & curæ & Septemvirale Collegium. In primis autem usus fuit Imperator Bartholdi, Principis Hennenbergici & Archiepiscopi Moguntini sapientia, ex cuius suasu & Camere Imperialis institutio prodiit. Hoc institutum cum Eclipsi notam boni Principis suggerat, utiq; & alterum, quod ex eodem fonte descendit, causa nimirum Anhaltina assertio probæ monetæ erit.

S. 48. Prout nec Imperium ad alterius iniuriam, sed ad tutelam æqualem omnium subditorum extenditur, eaq; demum vera potentia sit, ut S. Augustinus loquitur, quæ malum facere non potest. Et posse peccare, & malum facere, non potentia, sed infirmitatis est.

Hæc pro causa Anhaltina faciunt, & procul dubio Optimi Principis animo obversabantur, cum ad privilegii concessionem progredieretur. Noverat enim, non modò integrarum Gentium, sed etiam singulorum hominum cupiditatè à DEO ipso terminos esse positos. Meminerat porrò, se natum vocatumq; DEI Vicarium in his terris: Legatum: Discipulum: Filium &c. ut habendi libidinem frænis licitis cohiberet. Hoc dum fecit, nec in quenquam injurius, nec à tutela æquali alienus, nec etiam potentia sua abusus fuit. Ad Augustinum verò monentem Eclipsis suam Ecclesiam deducat, ut illum audiat & admittat, si potest.

S. 49. Unde verus ac bonus Princeps in iis, quæ juri nature sunt, ut, alteram partem audire, non condemnare insontem. nihil potest, iis verò tollendæ, quæ juri sunt positivi, non nisi ex magna causa, quæ hîc nulla fuit, nec adhuc subest, suam exercet potestatem.

Vagatur Eclipsis extra orbitam, & vix sine calumnia. Parùm enim abest, quin D. MAXIMILIANO dicã scribat, & atrocitas illa, alteram partem non audire, condemnare insontem, tollere ius nature, obiciat. Verùm nequaquã obiectum sunt Maximilianei privilegii: & rē longè aliter se habere, supra aliquoties, imprimis in S. 30, 45 & seqq. ostendimus. Causæ, quæ Optimū Principem hac permoverūt, satis magnæ sunt. Ecclesie violentia: causæ ventilatio & condemnatio: Condemnatae partis obstinata oppositio: jussionū Imperialiū contemptus: insontis partis oppressio. Sacro itaq; errorū morbo eclipsis laborat, quæ nullas causas hîc agnoscit. Hîc, inquã, ubi de jure eius vel naturali vel positivo ne apex quidē ostendi potest.

S. 50. Gravissimè Vasquius part. postrem. illust. quest. 1. per tot., ubi de iure ex præscriptione completa questio n. 15 in terminis. Vid: quæ disputata sunt in causa Monasterii B. Mariae Virginis prope Noyesum.

Quæ

Quæ Vasquius de jure ex præscriptione completa quæsito ferietur, illa etiam gravissimè scripta Eclipsi nullatenus succurrunt, cum toto cœlo à præscriptione completa distet, uti supra §. 45. vidimus. Longè gravius autem contra Eclipsin insurgit Vasquius in lib. 2. illustr. quæst. c. 51. per totum, ubi hæc addit: *Quæ injuria, impia aut iniqua sunt, nullo tempore præscribi possunt, ne quidem per mille aut decem millia annorum.*

§. 51. Tantum inde effectum, ut à subsequentibus Imperatoribus investituram regalium, quæ in hoc allodio Episcopi Halberstadienses ab iis feudataria lego habuerunt, sine ulla difficultate impetrarint, prout modernus Episcopus serenissimus Archidux in publico ac solenni actu fidei iuratam Cesari ac Imperio fecit, ac regalem investituram nactus.

Id verò, de quo hîc Eclipsis gloriatur, citra magnum nefas vix dici potest, si de bonis spolio quæsitis & Comitatu Ascaniensi accipi debent. Bilingues facit Eclipsis Imperatores, qui in hunc usq; diem Anhaltinos Principes investitura ista, non alios, dignos censuerunt. Illa autem & Episcopos Halberstadienses in commercium tantæ rei vocatos, augatur. Aliiter sentiebant Romani, qui *Vologesem armis erepta petitum venientem propitiis auribus haut audierunt.* Aliiter sentiunt Iæi, qui expressè scribunt, quòd bona *VIOLENTIÆ* vitio laborantis invasori in feudum concedi nequeant. Aliiter omnes illi, qui Principis voluntatē constantē & perpetuā lapidi angulari & polo cœlesti comparant. Aliiter, qui de Antecessorū & successorū factis ita statuerunt, quòd dignitas sit eadē, unus Principatus & unū Imperiū: & quòd nullus successorum facto derogare velle videatur. Hanc autē legem ex officina justitiæ sibi suisq; successoribus sumit & publici juris fecit gloriosissimus iste Imperator *LUDOVICUS IV.* quem Bavarū Eclipsis cum aliis vocat: *Cum vero jura, præsertim quæ circa Principatus Imperii consistunt, conservare, manu tenere, & defendere sub vinculo juramenti præstiti teneamur.* Nōrunt nimirū Sacratissimi Principes, titulū Comitū Ascaniæ & investuras esse antiquissimas atque continuas, quæ Anhaltinis Principibus propriæ erant, *LUDOVICI* quoq; iussa & *MAXIMILIANI*



88  
privilegia tanti momenti sunt, ut atatem ferre possint. Sic  
candem ita quod Principes Anhaltini credere nequeunt. Ec-  
lipse in hoc s. verum verbum fortui de excidisse, omnia ta-  
men illa acta & gesta intelliguntur restricta, & sub vulgari  
clausula: *Salvo antiquitati & fortiori jure tertij.* Hactenus  
omnibus Imperatoribus in hac causa una lingua & unus ca-  
lamus placuit: dicat Eclipse, que quis velit.

S. 52. *Qua fronte igitur audent affirmare Anhaltini de semper reten-  
ta civili possessione, quam tamen a multo annu actu aliquo externo  
non declararunt?*

Mi Eclipse, lata & exposita fronte, nec sine expres-  
so Juris Consultorum suffragio, hoc asseritur. Apud omnes  
enim constat, civilem possessionem solo animo retineri, in  
quo solo etiam consistit. Et quidem tunc quoque, quando se-  
parata est a naturali, ablata per spoliū. Et hic modus reti-  
nendi etiam ultra mille annos progreditur, quod Matthæus  
de Afflicis & Covarruvias latius persequuntur. Sed requirit  
Eclipse *aliquem actum externum*. Illud non necessarium esse,  
docent Canonistæ, qui etiam nudo asserentis dicto fidem  
eatenus adhibent, & probationem contracti in adversarium  
rejeciunt. Exstant tamen actus tales, veluti: *I. Craberrima  
interpellatio & protestatio, omnibus electis vel postulatis Epi-  
scopis Halberstadiensibus opposita.* Et quia nuda possessio  
possidenti nullum jus confert, si alius possessione expulsi  
nunquam non reclamet: multo debilior erit nuda & illicita  
detentio. *II. Imperatoris LUDOVICI IV. jussio iterata, &  
Executoris missio.* Ita enim toti Imperio innoscere debuit,  
Imperatoriam Majestatem voluisse, ut Principes Anhaltini  
hoc modo in civili possessione obfirmari naturalem quoque in-  
justè ablatam recuperarent. *III. Investitura solennis & publi-  
ca reiteratio continua.* Hoc casu possessio, quæcunq; illa sit, non  
solum confirmatur: sed etiam acquiritur. *IV. Succedentium  
Imperatorum exemplum: qui hoc modo directum Imperio, uti-*

le

le autem dominium Anhaltinis Principibus afferuerunt. In re liquida auctoritates non cumulamur. Et quis nescit, Dominum, Vasallo spoliato, invigilare posse & iuxta & Vasalli causae, ut scilicet utriusque jus suum salvum sit, & salva penes Vasallum, si non naturalis, saltem civilis possessio maneat. *V. Frequentissima Principum anhaltinorum instantia V l. Frequentes Caesareanarum commissionum repetitio.*

§. 53. cum clari ac indubitati juri sit, civilem possessionem, adeundo judicem & petendo immisionem, prout pretendunt Anhaltini, nec de facto recuperari, Jaf. in l. clam possidere. §. qui ad mundinas. n. 31. D. de acquir. vel amitt. poss. §. Menoch resp. 2. Causs. Finar. artic. 2. n. 29.

Quod animum possidendi principes Anhaltini nec deposuerint, nec deponere voluerint, illud ex decretis restitutionum, defensionum, executionum, iterum ex investituris continuis & privilegiis impetratis facile colligitur. Vidimus quodq; non semel concessum fuisse Principibus, ut naturalem possessionem propria auctoritate recuperarent. Cum itaq; juxta Doctores in eiusmodi casibus quid petitum eo modo intelligatur, quo petenti maxime prodest, & de eo actu vel potentia, qua quis inquietatur; ideo petitio illa noxia, quam nobis Eclipsis obtrudit, recte rejicitur. Omnes autem circumstantiae nos monent, petitionem fuisse duplicem; alteram ex interdicto, *Uti possidetis* ad retinendam civilem, alteram ex interdicto, *Quod Vi aut Clam* ad recuperandam naturalem. Utrumq; enim remedium spoliato, qui civilem saltem possessionem usq; ad judicis additionem retinuit, competere est in propatulo. Hinc Menochius: *Etiam si petatur res restitui, tamen & retinenda judicium locum habet, quando actor civilem possessionem animo retinet, reus autem rem corpore apprehendit. Nulla enim hic occurrit contrarietas, cum petatur possessio naturalis restitui, quae penes reum est, & defensionis civilis, quam actor contra turbantem, à quo ratione detentionis*

*impetitur, retinere cupit, retin. remed. 3 n. 522. Cui Antonius Faber & alii adstipulantur.*

*§. 54 Hinc attentans lite pendente, puta de factio per sub: & obreptionem impetrando investituras, attentatum sub pretextu continuationis excusare non potest,*

Hoc sibi Eclipsis capiat & dictum putet, quæ vitium attentati in sua causa in §. 51, ipsa met prodidit. Gloriatur enim supra, quod Episcopi, lite non modò pendente, sed etiam finita & executione imminente, investituram super Comitatu A S C A N I Æ impetraverint. Verum, an falsum Eclipsis dixerit, ignorant Principes. Illud tamen certum est, hoc modo cadere in Ecclesiam attentati vitium & poenam; impetrata nullo jure niti, sed laborare facti vitio; & Ecclesiam Imperatoribus sub: & obrepisse. Hæc & similia de Anhaltinorum Principum Majoribus prædicari nequeunt. Cum enim investituram peterent atq; impetrarent, causa nondum agitari in judicio cœperat. Et quæ postea investituræ subsequutæ sunt, amplius novæ dici non possunt, sed verius renovationes antiquarum audiunt.

*§ 55. Et civilis à naturali separata decem anni amittitur.*

Hoc cum aliquot gravis salis accipiendum est. I. Si de negligentia retinentis vel retenturi constiterit. In dubiis secus est, ubi benigniorem sententiam sequimur. Planè autem falsum est, quando diligentia & enixa voluntas retinentis, veluti penes Anhaltinos Principes, exactis notorium inducentibus, conspicitur. Quæ diligentia facit, quod contra civiliter possidentem ne quidem per mille annos præscribi possit. II. Traditio ista, quam Eclipsis satis crude recitat, non locum habet in Dominis terrarum, à quibus metus possessionis in perpetuum amittenda abest. Nam hi civilem semper retinent, quia creduntur detentorem naturali semper velle dejicere. III. Aliam limitationem adfert Jason in l. 1. n. 46. C. de serv. fugit. in possessione rerum universalium & corporalium. Alii alias: quas

quas hic recensere non est nostri instituti. Sufficit, hanc Eclipticos assertionem indistinctè, & cum primis in Ascaniensi causa, veram non esse.

S. 56. Nec multum proderit Anhaltinù, eos insignitos aliquando fuisse titulo Comitum Ascania: nam quòd exinde, etiamsi ab Imperatore de plenitudine potestatis, ex certa scientia & motu proprio eo honorati fuissent, non multum eis accrescit, Fab. in C. rex. judic. lib. 1. tit. de fin. 52. in terminis terminantibus tradit.

Quid hæc prodesse possint, accedente publico consensu, & titulo isto adhuc hodie Principibus Anhaltinis salvo, supra in S. 10. 15. 16. 17. & alibi ostendimus. Fabrum nihil moramur, qui in loco allegato nullam huius rei mentionem facit, alibi autem, lib. 4. tit. 14. de fin. 29. planè extra terminos loquitur. Exhibeat nobis Eclipticis unicum tantum, in terminis terminantibus sic scribentem, & magnus Apollo erit.

S. 57. Halberstadiensis Ecclesia alia operose deducere, narrare, ac aures Casarea Majestati & Statuum Imperii obtundere, hoc loco universalis Imperii paci reducenda, ac submovendis causis, inter quas hæc Anhaltina referenda non est, unde bellum hoc Germaniæ exortum, sacro, non è causa & re fore, licet estimaverit.

Rectè fecit Eclipticis & prudenter, dum operosa deductione & narratione supercedere voluit. Cùm enim quatuor istæ pagellæ tot erroribus & falsitatibus scateant, quid à prolixitate expectandum fuerit, quilibet facile perspicit. Notantur tamen Principes Anhaltini vel hoc nomine, quòd causa Anhaltina ad pacis universalis negotium non pertineat. Et quidem ita est. Funestum illud ac diuturnum bellum, quòd Germaniam & ferè totam Europam concussit, longè aliàs causas habuit. Sed quis inter Politicos adeò insipido est, qui nesciat in tantis negotiis multa saltem perindirectum in scenam produci, quæ directò istuc non spectant? Qui vixerunt in ista luce, ac etiam nunc vivunt, illos varia negotia, extra huius belli materiam posita exercuerunt, pari ardore, nec minori necessitate.



tate. Nec latet Eclipsin, Episcopatum Halberstadiensem SATISFACTIONI fuisse implicitum. Hic utiq; crudè & & juxta Eclipsis mentem accipi poterat, nisi tempeſtiva admonitio ostendisset discrimina. Demonstranda itaq; erat Ecclesiæ immoderata cupiditas, quæ integrum Anhaltinorum Principum Comitatum, exemplo vix audito, devorare hæcenus conata fuit. Adeoq; nemini, nisi Ecliptico, bilem movere potuit, quòd Principes Anhaltini, mutatione insigni imminente, qualitatem oblatae ac involutæ rei futuro Episcopatus Possessori vivis coloribus depinxerunt, Nemo quoq; illis jure succensere potest, qui de juribus suis custodiendis fuerunt solliciti.

*§. 58. tamen cum ad eam perlatum sit, Anhaltinos multa de institutæ actione rei judicata gloriari, de qua tamen ne verbum quidem in actis Halberstadiensibus communicatis reperire est, non potuit non facere, quin in protestando sua & Ecclesiæ jura conservaret.*

Eclipsis vera scrinia referare noluit, alioquin reperisset LUDOVICI JV. Imp. de sententia & re judicata testimonium: QUEMADMODUM OTTO, ARCHIEPISCOPUS, PRINCEPS NOSTER PRONUNCIAVIT, Adjuncta vidisset jussa imperatoria decreta, executoriales & alia, quæ Anhaltinis Principibus patrocinantur. Protestationi nulla virtus inesse potest, quia Eclipsis artificium dissimulandi nimis crassum est, & non entis nulla possunt esse accidentia.

*§. 59. cui nec vitio verti poterit, quòd se legitime defendendo privatis insultibus Anhaltinorum, ut & illegitimis attentati executionibus opposuerit.*

Insultus privatos demonstrat Eclipsis, quos hæc Anhaltinæ Familiæ exprobrat. Majorum acta & gesta nitebantur non modò naturali ratione, qua vim vi repellere possumus; sed etiam autoritate Imperatoria. Illegitima itaq; erat defensio, illegitima etiam oppositio, cum Ecclesia pro spolio contra ipsum Cæsarem & Ejus executorem legiti-

mum insurgeret, vim vi augendo, & armis legum vicem sustineatibus.

§ 60. Quia verò ex prædictis omnibus palam fit, quàm injusta, iniqua ac nulla sit postulatio Anhaltinorum, Ecclesia bonis à tot seculis inhiantium.

Non injuria quis hinc possit dicere: Eja! Domine Ecliptice, hæc ita fingantur. An hi alienis bonis inhiare dicuntur qui per legitimos tramites eunt, ut sua recuperent. Quot secula hinc Ecliptis numerat, tot seculorum injuriam Principibus Anhaltinis illatam fatetur. Quia verò ex falsis suis præmissis jam veras conclusiones eruere conatur, nos meliori fide & majori, quod DEUS ipse jubeat, successu ita concludimus:

I. Quòd justa, æqua & solida sit Anhaltinorum Principum postulatio. II. Quòd antiquissimum suum Comitatum & avitum patrimonium repetentes Ecclesia bonis inhiare dici nequeant. III. Quòd contra Ecclesie cupiditas nullo jure nitatur, & ab Imperatoribus publicè damnata fuerit.

§. 6. nihilq; magis recte rationi, justitie, legibusq; ac constitutionibus fundamentalibus conveniat, quam ut, si quas te habere actiones putaveris, jure experiaris, ac, quòd justum, legitime ac juste persequaris.

Sequitur porro: IV. Quòd Principum Majores ante tria secula jure experti fuerint, & victoriam obtinuerint. V. Quòd Imperator LUDOVICUS IV. Laudun: Ottonianum viderit, adprobaverit confirmaveritq;. VI. Quòd juri & recte rationi nihil magis conveniat, quàm ut judicata executioni mandentur. VII. Quòd proinde LUDOVICUS IV. rectè fecerit, cum executionem decerneret, ac eum in finem executorem mitteret. VIII. Quòd Anhaltinis quoq; Principibus nihil imputari queat, dum realem executionem desiderant, petunt, urgent. Frustra siquidem in repub. extarent jura, nisi essent, qui eadem exequerentur. Gladius sine lege tyranno comparatur: lex autem

tem sine gladio; vel sententia sine executione; campanæ sine pistillo.

S. 62. id quod Ferdinandus II gloriosissima memoria invictissimus Imperator ad Electores & Principes publico rescripto testatum reliquit, ut ne quidem post sententias, legitimo juris ordine servato, latas ac publicatas, leges publicas violare, ac propria autoritate alienas possessiones invadere, sibiq; jus dicere liceret, in tantum, ut in secus facientes amissione omnis juris, quod adversarius habuisse dignosceretur, animadvertendum esse sanxerit:

*IX. Quod FERDINANDI II: Imp. constitutio nec Illustrissimos Majores, nec modernos Principes feriat. Non Majores; quia ad præteritos casus, si nova esset, trahi non poterat. Cui accedit, quod Majores nihil in jure vel facto sine Imperatoris voluntate atq; autoritate egerint. Nec etiam modernos; quia possessionem sui patrimonii, quod tamen juxta jus naturale, & tam Caroli IV. quàm Maximiliani I. permisso facere poterant, autoritate propria non fuerunt ingressi.*

*X. Quod Eclipsis Comitatum ASCANIAE Anhaltinis Principibus propriam perperam suis possessionibus annumeret.*

S. 63. Ex superioribus autem luce meridiana clariùs appareat, Anhaltinos Ecclesiam post translata possessionem turbasse, propriaq; autoritate spoliasse, adeò ut opus habuerit omni jure concesso remedio statim recuperare.

Bona verba, quæso, Ecliptice, Dominum hæc impudenter fingere, superiora nos docent. Nos ita veriùs. *XI. Quod possessio Comitatus Ascaniensis in Ecclesiam Halberstadiensem nec translata fuerit unquam, nec transferri potuerit. XII. Quod proinde Majores Principum illam turbare nequiverint. XIII. Quod Anhaltinis Principibus favore investiturarum, jurisdictionum, permissionum, & concessionum ad naturalem possessionem regressus semper patuerit, ac etiamnum pateat. XIV. Quod Principes spoliati perperam spoli commissi postulentur. XV. Quod Ecclesia armorum remedio vetito usa malè dicatur recuperasse, quæ*  
*nullo*

§. 64. 65.

99

nullo jure habuit. XVI. Quod nullum in jure remedium inveniat, quo spoliante contra spoliatum subveniatur.

§. 64. postmodumq; occasione sua utentes apud infestum tunc Ecclesie Ludovicum in Bavarum Imperatorem, veritate omissa, aut ad minimum obnubilata, falsitate vero exposita, instituisse primum pro investituris

Hoc manifestum Eclipseos falsiloquium supra deteximus & explosimus. Nos ex præcedentibus rectius contra eandem inferimus: XVII. Quod Anhaltinorum Principum Majores improba aliqua occasione usi dici nequeant. Temporis ratio & negotii qualitas illos impulit, ut LUDOVICUM IV. Imp. adirent. Hujus enim electio, ut antea diximus, in annum 1314. diem 13. Octobris, Lucæ Evangelistæ sacrum, mors autem Ottonis Anhaltini in annum 1315. incidit. XLIX. Quod turba & injuriæ istius tempestatis Ecclesie spoliium mirè adjuverint, Anhaltine autem causæ varia impedimenta obiecerint. XIX. Quod LUDOVICUS Imp. Ecclesie infestus haut fuerit. XX. Quod veritas ab Anhaltinorum Principum Majoribus malè dicatur omissa, quæ illis unicè favebat. XXI. Quod nubibus illi delectentur, qui in Eclipsibus & tenebris sibi splendorem & præsidium querunt. XXII. Quod falsitatem exposuisse dici nequeant, quò annalium, jurium & totius Imperii fide & veritate publica adjuvantur. XXIII. Quod investitura non demum LUDOVICI IV. tempore cæperint, sed diu antè, ratione Comitatus ASCANIÆ, in usu fuerint.

§. 65. deinde iniqui sui ac veritati haut consoni rationibus, maxima importunitate ac aulicorum favore Imperatorem induxisse, ut non concedenda concesserit.

D. MAXIMILIANUS I. Imp. hîc perstringitur. Verum nos in illationibus ita pergitur: XXIV. Quod prudentissimo Imperatori æquitas ac veritas præsum Anhaltinarum satis perspecta fuerit. XXV. Quod Clerus Halberstadiensis rectius importunus audiat, qui in contemnendis & eludendis jussionibus Imperialibus

R 3

perialibus

perialibus totus fuit. Hæc causa sola permovere poterat S. Cæsarem Majestatem, ut concedenda facilius concederet. Nunciant, quas Eclipsis de favore Aulicorum hinc spargit. Imperator ipse testatur, omnia acta gestaque fuisse ex certa scientia, maturo consilio prævio, & causa diligenter explorata.

§. 66. cuiusmodi artificio subsequentibus seculis quamvis tandem frustra innitentes nostri adversarii Anhaltini, repulsi.

XXVI. Quod Anhaltini Principes nullo unquam tempore artificio aliquo illicito, sed tantum legitimis remediis usi fuerint. Illud quidem facile largimur Halberstadiensibus, illis non æquè artificium aliquod, atque obstinationem crassam & violentam præpotentiam placuisse. Artificium tamen haut immeritò dixeris cautiones circa electionem vel postulationem Episcoporum adhibitas de quibus & antea. XXVII. Quod Principes falsissime dicantur repulsi, uti mox in §. 68. 71. & 72. vide.

§. 67. ad fores adamatæ Chrysidis.

(bimus.

Quid sibi velit Eclipsis cum sue Chrysidis foribus, nondum ne conjiciendo quidem assequimur, Mulierculæ cuiusdam Comicæ in Andria Terentius meminit, sed Chrysidem eam vocat. Eclipsi contra sua est latinitas, sua scribendi ratio. Fortes an Comitatum Ascanientem vel aulâ Imperatoris hoc nomine honorare voluit. Quicquid sit, malè loquitur, malè scribit atque sentit. Naturalis est Principum, Anhaltinorum amor, non mercenarius, multo minus meretricius, quo in avitum patrimonium, lares paternos & antiqua Majorum prædia feruntur. Appetitum autem, qui Ecclesiam antè invasit, hodieque Eclipsin exagitat, honesto nomine nunquam quis vocaverit. Aula quoque Imperatoria in hac causa talem se gesserat, ut multa essent, quæ labellum licentius grassaturum digito compescere poterant.

§. 68. intra 60. annos non nisi fuere in publicum prodire.

Inspiciamus acta, & falsitates Eclipsicos hac in parte annorum numerum exæquabunt. O. dimura autem brevissimam Synopsin à D. MAXIMILIANI I. tempore,

ANNO

*An. 1495.* impetravit illustrissima Anhaltina Familia privilegium longè nobilissimum. *Anno 1541.* actum fuit de hac causa in publicis Comitibus Augustæ Tiberii. *Anno 1542.* eundem lapidem viderunt Principes in Comitibus Spirensibus. *An. 1545.* adierunt D. CAROLUM V. Bruxellis per Legatos, ut realem executionem repeteret. *Eodem anno* à S. Cæs. Majest. Electorù Brandenb. D. JOACHIMO & Episcopo Lebusiensi D. GEORGIO demandatur, ut litem amica transactione sopiant. *Eodem anno* contradicunt D. JOHANNES, D. GEORGIUS & D. JOACHIMUS Fratres Principes Anhaltini D. ALBERTO, Episcopo Halberstadiensi, cum Alcanienses ad præstandum homagiũ invitaret. *An. 1546.* agitatur causa iterũ in Comitibus Ratisbonensibus. *An. 1547.* remittitur eadem ad Naumburgensẽ Episcopum D. JULIVM, & Ducem Pomeraniæ D. PHILIPPVM, constitutos Cæsareos Commissarios. *A. 1552.* interponitur protestatio contra D. FRIDERICVM, Halberstadiensium Administratorem, poscentem ab Alcaniensibus homagium. *An. 1553.* negotiũ aliis Cæsareis Commissariis D. JOHANNI Marchioni Brandenburgico & D. PHILIPPO, Duci Pomeraniæ committitur. *An. 1555.* exponitur totius causæ qualitas cum omnibus circumstantiis Cæsari. *A. 1559.* Confirmantur à D. FERDINANDO I. omnium antecessorum acta gestaq;. *A. 1566.* excipiunt D. JOACHIMUS ERNESTUS & D. BERNHARDUS Fratres Principes, contra attentatum D. SIGISMUNDI, Halberstadiensis Episcopi adfectantis apud Alcanienses homagium. *Anno 1565.* designantur Cæsarei Commissarii D. JOHANNES, Episcopus Monasteriensis, & D. FRIDERICUS Dux Pomeraniæ. *A. 1569. & 1571.* inspicitur causa citatis partibus. *A. 1575* Surrogatur Episcopo Monasterienti D. HENRICUS, Bremensium Archiepiscopus. *An. 1576.* injungitur Ecclesiæ Halberstadiensi, ut respondeat, si quid habeat. *An. 1577* Ecclesia semper fugiente, conqueruntur Domini Commissarii de perpetuis Halberstadiensium tergiversationibus & iudicationibus. *Eodem*

Eodem anno repetitur à S. Cæs. Majestate commissio ; & ad probatis Dominorum Commissariorum decretis Ecclesiæ responsio injungitur. Anno 1578. audiuntur partes Brunovici coram subdelegatis. Eodem Anno reluctanti Ecclesiæ responsio denuò imperatur, Eodem An. rejicitur Defensoris Halberstadiensis frivola appellatio ad Camera facta, responsione iterum imposita & amputatis omnibus dilationibus. Anno 1579. pergente nihilominus Defensore, avocatur causa à Camera & remittitur ad Dominos Commissarios. Anno 1585. adhuc reluctante Ecclesia, Camera imperialis se incompetentem pronuntiat, causamq; ad Aulam Cæsaream remittit. Injungitur præterea Ecclesiæ expensarum refusio. Anno 1586. Defensor ad Cæsarem provocat petitq; , ut Camera cognitio demandetur. Eodem anno d. 2. Augusti reprobatum ista appellatio, & revocatur causa ad Senatum Aulicum, Anno 1588. opponitur protestatio Episcopo Halberstadiensi, visitaturo Alcaniensem Ecclesiam. Anno 1589. reassumitur processus à Principe Anhaltino DN. JOHANNES-GEORGIO, suo & Fratrum illustrissimorum nomine. Anno 1591. accusatur Defensoris Halberstadiensis contumacia. Anno 1592. repetitur contra eundem citatio. Anno 1593. conceditur Defensori bimestris dilatio. Eodem anno indulgetur eidem tertia dilatio. Anno 1594. repetitur adversus eundem contumaciæ accusatio, Anno 1602. à D. RUDOLPHO II. decretum de maturando negotio promulgatur. Anno 1613. agitur causa in Comitibus Ratisbonensibus, & Anhaltini Legati de diligentia adhibita publicum testimonium impetrant. Anno 1615. instant Principes, ut S. Cæsarea Majestas ad realem executionem descendat. Anno 1626. eadem petitio, misso ad D. FERDINANDUM II. Imp. DN. ERNESTO Principe, instituitur. Anno 1627. d. 17. Martii sequitur decretum Cæsaris de maturando negotio. Anno 1629. postulato jam Serenissimo Domino Archiduce, Principes causam suam iterum urgent

gent. Ubi itaq; sunt anni illi Sexagenarii ruboris & silentiis  
 Ubi exstat exprobrata repulsæ injuria ? Non potest non con-  
 fundi Eclipsis, quando hæc & alia, à se sine mente & fronte  
 in publicum sparsa, secum expendit. Nec est, quod Principi-  
 bus Anhaltinis moras & impedimenta justitii imputet. Vali-  
 diora ea fuerunt, quàm quæ ab imbecillitate humana supera-  
 ri potuerint.

Ex hac autem Synopsi quivis facile Ecclesiæ ingenium  
 intelliget, & varia ad defatigandam Familiam Anhaltinam  
 conquirit ludibria. Bone DEUS ! Quàm longè recessit hæc  
 Ecclesia à moribus & legibus clericorum, qui lite pulsati ju-  
 bentur eò curam suam dirigere, ne controversia plures, quàm  
 duos menses, egrediatur. Hic habemus causam diu cognitam  
 & ad terminos executionis redactam, ubi nullæ exceptiones  
 audiuntur, nisi quæ in contiaenti probari, & absq; ulteriori  
 indagine expidiri possunt. Nihilominus tamen Clerus, com-  
 putatione à MAXIMILIANI I. tempore facta, ludificationi-  
 bus suis longè plures annos fefellit, quàm qui integrum secu-  
 lum constituant. Quid ad hæc Papa Bonifacius *in c. 4. de præ-  
 sumpt.* Nullus dubitat, inquit, quòd ita iudicium nocens subterfu-  
 git, quemdam modum ut absolvatur, qui est innocens, querit: con-  
 fitetur enim de omnibus, quisquis se subterfugere iudicium dilatio-  
 nibus putat.

S. 69. Idcirco ad S. Cesar. Maiestatem, tanquam Patronum, ac in jus  
 omne Primorum Fundatorum surrogatum & substitutum, Defensorem  
 & Auxiliatorum Ecclesia Halberstadiensis confugit, certò confidens,  
 Eam juxta laudatissimum exemplum suorum Predecessorum humilli-  
 me admonitam in melius reformaturam, quod prava ac iniqua sugge-  
 stione impetratum aliquando fuit, neq; devotam adhortationem non  
 iniquo animo laturam.

Idem ferè hic Eclipsi, quod olim Bileamo, contingit. Con-  
 natur Anhaltinæ causæ malè precari, & ecce sub finem invi-  
 tæ benedictio extorquetur. Bene ominantur sibi Principes.

S. Quis



Quis enim execrabitur eorum causam, quam DEVS non execratur? Quis illam detestabitur, quam non detestatur JEHOVA? Sanè hanc spem certam fovent Principes, fore, ut S. Cæsar. Majestati Antecessorum sententia, res judicata, decreta, mandata, investituræ, executoriales & privilegia porro quoq; placeant, quibus diu calculum suum adjecit. Et quidem cum hoc auctario, ut tandem illis omnibus cum pleno effectu autoritas accederet, Est quidem Sacratissimus IMPERATOR Patronus Ecclesiarum: sed manus suas ab invasione alienæ rei abstinendum. Nec tantùm Ecclesiarum; sed etiam Familiarum Illustrium, maximè injuriam patientium. Merentur favorem Ejus jura, non nomina, Et quod diu æquum justumq; vitum fuit, dignum confirmationibus & privilegiis Cæsareis, illud nec hodieq; nec in posterum stare prohibebitur.

S. 70. Quòd verò Illustrissimorum Principum Anhaltinorum nomine, sub finem illorum Manifesti, ab ipsius Compositore non solum Sacræ Cæsarea Majestas, Electores, principes ac Status Imperii, sed etiam exteri Reges implerentur, ut suas recommendationes, studia, vota atq; suffragia eò dirigere velint, quo principibus Anhaltinis dictus Comitatus Ascaniensis, ut ipse illum nominat, cum effectu & plenissime restitueretur, id in Imperio Romano Germanico insolitum & antehac inauditum.

Equidem cum omnia mutationibus subiaceant, multa Patrum & nostra memoria evenerunt, quæ superioribus seculis insolita videri poterant. Et quid statuemus de Europæo illo conventu in Westphalia? Quamquam peregrinari videatur Eclipsis in sua patria, quæ exterorum Regum intercessionibus in causis Statuum rebus insolitis & inauditis annuerat. Longè secus se rem habere testantur infinita exempla, omnibus cognita. Habebant insuper Anhaltini Principes causas satis graves, ut exterorum quoq; Regum operam & opem implorarent. Nam & in horum manibusolvebatur satisfactionis materies, cui Episcopatus Halberstadiensis mancipandus erat. Ut itaq; omnibus Legatis discrimen bonorum innotesceret, non poterant Principes hoc labore & his curis super sedere. Videtur aliàs Eclipsis nec nomen Comitatus Ascaniensis ferre

posse. Nimirum ad exemplum eorum, qui occupatis aliorum  
ditionibus id agunt unice, ut statim vera & vetera nomina  
oblivione obruantur. Sed nomen & jura Comitatus istius,  
Principibus Anhaltinis competentia, nulla seculorum injuria  
obliterare poterit.

*§ 71. cum res & negotia Imperii non ad exteros pertineant, nec sit, quod de  
iustitia ab imperatore impetranda dubitemus, nisi ex Statibus esse velint, qui  
impediunt id, quod tamen suo loco relinquatur.*

Quomodo res & negotia Imperii ad Exteros quoq; spectare  
possint, nemo nescit, nisi qui planè hesternus hospes est in Ger-  
mania. Quomodo autem hæc causa Ascaniensis ad Eorundem  
scientiã pervenerit, de hoc antea diximus. Et longè aliud est,  
causa justæ favere & adplaudere aliud verò, de illa statuere.

De iustitiã à moderno Augustissimo Imperatore impetranda  
nullatenus dubitant Anhaltini Principes. Noverunt potiùs, om-  
nes Imperatores in hac causa unã linguã & unũ calamũ ha-  
buisse. LUDOVICI V. & MAXIMILIANI I. Imp. nō modò mentē,  
sed verba quoq; ipsa *infra lit. E.* legenda retinuerūt successores,  
Nemine excepto. Divus RUDOLPHUS II. d. 30. Januarii 1602 ita  
sentit: *Quia S. Casarea Maiestas Principibus An-  
haltinis Eorumq; petitioni quantociùs satisfactum  
cupit, ideo clementissimè imperat, ut Senatus Auli-  
cus, cum ab utraq; parte submissio facta sit, acta  
statim inspiciat, & quod justum est, statuatur.* Divi  
FERDINANDI II. decreto d. 17. Martii injungebatur Aulico Sena-  
tui, *ut actis statim perlectis relationem maturaret.*  
*Fore enim, ut eandem Declaratio Casarea &  
Decretum juri consonum protinus exciperet.*  
En REPULSÆ indicia! De statu impedimentis, non est quòd  
sibi Principes metuant. Horum judicia & vota, seu suffragia se-  
quens § enarrabit.

§. 72. Vos verò Electores, Principes, Comites, Barones, Civitates, & quotquot sunt, qui jura Comitiorum habetis, præmemorata Ecclesia humillimè, obnixè ac etiam atq; etiam, tanquam membra imperii nobilissima, rogat ac obsecrat, ne velit omnibus & singulis Anhaltinorum nudè narratis ullam fidem, nobis inauditè, tribuere.

Principum Anhaltinorum assertiones nuda narrata vocat, & iterum conqueritur Eclipsis, Ecclesiam non fuisse audità. Qua autem fide circa membrum posterius agat, suprà aliquoties, præsertim in §. 45. & infra §. 75. ostenditur. Quòd circa prius membrum omnè planè frontè ponat, hoc in loco demonstrabimus. Et primò quidem sistimus IMPERATORES LUDOVICUM IV. & MAXIMILIANUM I. quorum dignitas & autoritas longè maior & sanctior est, quàm ut illorum iussa & decreta *nudorum narratorum* nomine circumferri debeant. Omnes successores hæc Antecessorum vestigia digna censuerunt, quibus & ipsi insisterent. Electores & Principes vel Spectatores vel Assimatores fuere hujus causæ, qui longè honestiò de eadè sentiebant. LUDOVICI IV. tempore habuimus Rudolphum El. Saxonè, Fredericum Marchionem Misnie, Ludovicum & Stephanum Duces Bovarie, Imperatoris Filios, Rudolphum & Rupertum Comites Palatinos ad Rhenum, Testes investituræ Bernhardo III. collatæ omni exceptione maiores & illustris fidei. Anno 1355. d. Jovis post Dominicam Quasimodogeniti scribant DN. Johannes, Marchio Brandenburgensis, & DN. Philippus, Dux Pomerania de causa Anhaltina in hanc sententiam, & quidem ipsi Cæsari: Halberstadienses intra sex menses respondere debebant: sed integer annus, & quod excedit, frustra labitur. Et paulò post: Non est verosimile, quòd Capitulum in harum rerum iusta ignorantia versetur. Nec poterit futurus Episcopus ut pote unica persona pleniorè scientiam adferre, quàm integrum Capitulum. Præterea apud Anhaltinos Consiliarios in promptu erant sententia & jus quæsitum, decreta restitutio, executio, mandata, confirmationes, renovationes, investitura, ac evidenter petitæ executoriales, Vestra quoq; Cæsareæ Majestatis

jectatis & Antecessorum decreta aliâq, quorum effectum gaudere debebant Principes Anhaltini, cum ex adversa parte, testantibus actis, nihil solidi oppositum fuerit. Anno 1577. d. 24. Aprilis scribunt D. RUDOLPHO II. DN. Henricus Archiepiscopus Bremensis & DN. Fridericus Dux Pomeraniae, Caesarei item Commissarii: Nos quidem existimamus, quia ex parte Rei (Ecclesiae sc.) nihil aliud praeter frivolas dilationes & procrastinationes adfertur, ejus tergiversationem coercendam esse pœnalibus comminationibus, aliisq, jurium remediis. Hoc seculo, nec ita pridem produit hac ipsa de causa Serenissimi quondam & Potentissimi Electoris Brandenburgici DN. GEORGII WILHELMI, laudatissimæ memoriæ, testimonium seu verius suffragium. Electorale, scribebat, nostrum Archivum Nos docuit, quod pientissimi nostri Antecessores Electores, & Marchiones Brandenburgici, à partibus Domus Anhaltinae fideliter steterint, & pro eadem apud Romanos Imperatores, uti & in aliis occasionibus, operam suam interposuerint. Notorium enim erat, quod Principes Anhaltini Comitatu ASCANIAE merito facti & nullo jure dejecti fuerant, adversa parte, quæ nullum legitimum titulum allegare potuit, detentionem suam defendente per meram violentiam. Atq; iterum: Ex actis & actitatis satis superq, constat, quod Domus Anhaltina spoliū, quamvis dissidium istud anno 1315. ortum fuisset, silentio nequaquam approbaverit, sed iniuste occupationi contradixerit, ut tandem partes arma arriperent. Tandem ab utraque parte electus fuit Arbitrator Archiepiscopus Magdeburgensis, Dominus Otto, Landgravius Hassie. Hic sufficienti causæ cognitione prævia condemnavit Episcopum Halberstadiensem, ut Comitatum ASCANIAE cum omnibus pertinentiis restitueret. Quod laudum LUDOVICUS Imp. confirmavit, decretis insuper executorialibus. Has successores Imp. nullo excepto, renovarunt, investituratam super hoc Comitatu, quam super cæteris ditionibus Anhaltinis Principibus concessa. Utuntur Principes eiusdem Comitatus insignibus & titulo, & nuncupantur tales ab omnibus Statibus Imperii, imò & ab adversa parte Halbera

berstadiensium Episcopo. Semper quoque & diligenter urserunt restitutionem realis possessionis, & civilem usque ad hæc tempora retinuerunt. E contrario adversa pars sæpius amicabilem compositionem coram Cesareis commissariis repudiavit, juri quoque manifesto restitit. Modò ad Austregas provocavit: mox ad sedem Romanæ Ecclesiæ. Iterum alias & quidem meras dilatorias opposuit, loca controversa sibi asserens per solam potentiam.

Hæc sunt illa **NUDA NARRATA**, quæ Eclipsis Anhaltinæ Familiæ iniquè nec sine offensione Imperatorum, Electorum & Principum, exprobrat. Imperialia scriinia Imperator ipse tanti æstimat, ut in iis totum jus consistere dicatur. Electorum & Principum Archivis tutò credunt omnes. Quicquid autem hîc continetur, vel etiam in jure Saxonico publicè existat, apud Eclipsin vix **NUDORUM NARRATORUM** nomen meretur.

*S. 63. multò verò magis id alacri animo agitote. & institote exemplo Majorum Vestrorum, ne hæc antiquissima, à Carolo M. fundata & subsequentibus Imperatoribus privilegiis ac bonis aucta Ecclesia detrimentum patiatur.*

Nihil magis in votis habent Anhaltini Principes, quàm ut hodieq; Antecessorum & Majorum dicta, scripta & facta ea venerationis lege colantur, quæ omnibus Successoribus commendatur. **S. CÆSARÆ MAJESTATI** exemplum **D. LUDOVICI, D. MAXIMILIANI & aliorum ANTECESSORUM** diu placuit. Nec tam alieno quàm suo facto et decreto robur adjiciet, quando nunctandem contra Clerum executio repetitur. Nec difficilis hac in re erit modernus Serenissimus Elector Brandenburgicus, **D. FRIDERICUS VVILHELMUS**, Splendor & fulcrum Imperii eximium. In Hoc enim cum omnes ejus Majorum Virtutes admirabilem & suavem synodum celebrent, non possunt non sperare Anhaltini Principes, Illum & hac in parte *Aviti ac Paterni suffragii*, (vid. p. 102. 103.) eximia justitiæ & æquitatis Gloriosum Æmulum fore. Deprehendet Ipsa *Electoralis Serenitas*, **CAROLUM M.** vel

alios

alios IMPP: ex bonis Ascaniensibus nihil adiecisse Ecclesiæ. Nihil quoq; hoc modo eidem detrahi, si iniquè occupata, & iniquius detenta è Cleri manibus ad Veros Dominos reverti jubeantur. Plura adderemus, nisi publicè constaret, *Serenissimi Electoris* animum æquitatis amantissimum ab ejusmodi accessionibus penitus abhorrere. Retinebit nihilominus Clerus satis opimos redditus etiam si ceteros, Anhaltinæ Familiæ proprios restituere, & damna data huic vel illi resarcire compellatur. Nimirum planta, quam non plantavit patet meus, eradicabitur. Hoc enim gladio Eclipsis longè verius suæ Ecclesiæ, quàm Principum Anhaltinorum, causam ferit ac prostravit.

*§ 74. Non enim res minima est, habere suis consiliis presentes Antistites religionis, quos propter animarum regimen ita dilexit Ludovicus Pius, ut eos efficeret Principes Imperii.*

Cessabit procul dubio nunc demum in Halberstadiensi Principatu hæc ratio, cui aliàs quoq; nulla virtus inerat. Neq; enim ideo quis à consiliis protinus excluditur, vel etiam Senatu movetur, quando rem alienam vero Domino reddere cogitur. Alioquin factum Cleri Halberstadiensis & injunctum animarum regimen immane quantum dissident! Uti nam habita fuisset hujus officii ratio sa rem aliqua, & procul dubio multi motus atq; tumultus, ipsæ etiam hæ Anhaltinorum Principum quere æsilissent.

*§ 75. Deinde cum super juriurum divinorum, naturalium, positivorum & legum imperiū lapide angulari sit edificata hæc regula: ad omnem actum citandos eos, quorum interesse quocung; modo in judicio versatur, neminemq; nec citatum, nec auditum ac indefensum condemnandum, sed si quid aliter contra hunc publicum naturalem ordinem factum, id in pristinum statum ante omnia perducendum.*

Otiosa hæc est repetitio; suprà aliquoties explosa. Potuisset quidem Imperator rigore aliquo uti. Nam spoliū ab Ecclesia commissum erat *notorium*, ubi, juxta Brunum *cons. 19. n. 10.* nec causæ cogitio, nec sententiæ solennitas, nec citatio requiritur.

requiritur; sed ad executionem statim progredimur. Idem n., 11. 12. 13. subdit, *notoriè & inexcusabiliter intrusum spoliari posse, quamvis citatio omissa fuerit. Et, ubicunq; notorium est, alicui nec jus nec defensionem competere, potest quis possessione exui. Factum quoq; de facto rectè revocatur de facto.* Verùm cum adversa parte benignissimè agebatur. Hinc monitis Imperialibus prioribus inseriebatur ista clausula: *Quòd si aliquid juris tibi diceret competere, si Nos requisieris, plenam justitiam tibi faciemus. Item: Vel saltem coram Nobis, qui sumus Dominus feudi, ostendas, quo jure tibi pertineant. Iterum: Vel quòd saltem coram Nobis ostendat, quo jure tibi pertineant. Rursum: Nisi dictus Episcopus legitimis edocuerit argumentis, Vos sibi, & non Comiti, pertinere suprà dicto.* Sequebantur postea alia præcepta sine clausula, & quidem secundùm juris ordinem. Deinceps citata, audita & condemnata fuit Ecclesia ab Arbitro. Cùm autem ne sic quidem violentia cessaret, tandem Imperator ad executionem descendit, lentè satis, tatis quoq; placidè & justè.

*§. 76. reusq; per multa sæcula ad hoc instans momentum continuata possessione non destituendus.*

Detentio malè vocatur possessio, nec tollitur vitium invasionis per diuturnitatem, sed potius augetur. Hæc ipsa ratio S. Cæs. Majestatem excitabit, ne executionem diutiùs differri patiatur.

*§. 77. adeò ut tali casu, juxta commune Doctõrum dictèrium, sumus adhuc in initio processus.*

Hoc nimirum Eclipsis unicè desiderar optatq;. At quis Doctõrum unquam tantam mentis eclipsin passus fuit, ut causam, quæ ante tria sæcula executioni commissa jam jam supremam manum exspectat, in processus initio versari diceret? O infelicem & miseram justitiam, quæ ejusmodi dictõrum fidiculis & equalestantum non enecatur.

§ 78. facile Casarea Majestas patietur à se impetrari, Ecclesia in suo presenti statu illasa conservetur.

Quòd & quomodo Halberstadiensis Cleri morosæ ac diuturnæ iniquitates per legitimos tramites expelli demum debeant, in præcedentibus latè dictum fuit. Quare actum non agimus.

§ 79. aut in eventum contrapredictos iniquos, injustos ac nullos processus in integrum restituatur.

Eclipsin iterum in acta & facta tot Gloriosissimorum Imperatorum debacchantem remittimus ad antecedentia. Sciat præterea, *auxilium restitutionis in integrum non esse paratum executionibus: multò minùs ledentibus. Et frustra leges invocat, quibz contra eas committit.* Vidimus suprà, quomodo & quandiu Ecclesia rescripta & jussa imperialia in hac causa ludibrio habuerit. Hoc ut ne ulli sub specie restitutionis in integrum permitteretur, Imperator Justinianus sedulò ac seridè monuit.

v. l. ult. §. 6. C. de bon. que liber,

### APPENDIX.

**D**Ecurrente jam ad finem prælo, oblata nobis fuit Eclipsos nova editio. Mirati sumus, in ejus fronte relictam fuisse istam maculam **ECLIPSIS**, iterum duplici C. de honestatæ. Non ramen malè res cecidit. Decebat hæc Grammatici erroris pertinacia Eclipsin, ut defectui historicæ veritatis & juris responderet defectus Grammaticæ.

Postea in eadem fronte error in pronomine Quo sublatus quidem est, sed longè alius gravior substituitur. Vibratur enim in familiam Anhaltinam innocentissimam dictum illud: *Omnis planta, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur.* Rectius fecisset Eclipsis, si conscendisset montem Gerizzimo.



rum & montem Hebalis, & audivisset solennem imprecationis formulam de moto termino proximi. Rectius & olim Celerus, si Ethnicorum continentiam imitatus saltem vixisset juxta Numæ legem, de qua Dionysius Halicarnass. lib. 2. *Vt Romani contenti propriis aliena non concupiscerent, Numæ lege cavet de terminandis prædiis. Cum enim unumquemque jusisset agrum suum circumscribere, ac in finibus statuere lapides, hos sacros esse Jovi Terminali voluit, jusfitque, ut quot annis stato die res divina eo loco in paganorum cœtu fieret, sacro cum primis nobili festo in honorem Deorum, qui terminis tutelares president. Et paulò post: Nec de privatorum tantum agris hoc jus sanxit, verum etiam de publicis, hos quoque certis complexus finibus, ut Romanum agrum à vicinarum urbium agris terminales Dii discernere. Et mox: Nam DEAS putant terminos, eisque sacra faciunt. Et fingunt, hunc illorum Terminum, cum Tarquinius Superbus templum amplissimum Jovi Optimo Maximo exstructurus, omnium aliorum Deorum ades exauguraret, noluisse cedere. Hoc nimirum denotatum voluit Antiquitas, in DEUM ipsum & legem EJUS immotam graviter delinquere eos, qui terminos singulis Gentibus, Civitatibus, Familiisque antiquitus positos movere ausint. Discere itaque potest Eclipsis vel ex Ethnicis: verbum illud terribile ERADICARI, aut etiam si mavult, EXPUNGI & EXSTINGUI metuendum esse, non de termino moto conquerentibus, sed quibus terminos Vetustissimæ Familiæ movere nulla religio fuit. Et quia Comitatus ASCANIÆ planta est, quam è Principatu Anhaltino in Ecclesiã Halberstadiensẽ non DEUS sed spoliũ transplantavit, ideo eandem ex Ecclesiã eradicandam & Principatũ Anhaltino restituendam à tot seculis tot Imperatores rectè judicârunt.*

*AS* sequentia adiecta sunt: Sic secundum Brotuffium in Chronic. anhaltin præfat. p. 4. anno. 1102. loco doti Alberto cum conjuge Hidda totum allodiale Comitatum VVelpensem; Ottoni vero Anhaltino post obitum Magni. Marchionis Soltquellensis eodem jure cum uxore Heilica, filia modo nominati Magni, totum Marchionatum hereditariam paulò post cessisse, in aperto est.

At ne sic quidem defenditur illa universalis assertio de allodi-  
ali qualitate in bonis Magnatum Saxoniae. *Primo* enim indu-  
ctionis non est ea indoles, ut duo exempla, praesertim si dissimile dari queat, universalem conclusionem constituant. *Secundo*  
à Comitatu Wolpensi vel Marchionatu Soltquellenfi ad Comi-  
tatum Ascaniensem, diversam plane speciem, malè infertur.  
Rationes diversitatis supra vidimus. *Tertio* terra Vandalis æta-  
te *Caroli M.* adhuc propria malè recensetur inter bona Saxoniae.  
*Quarto* exempla subsequen-  
tium seculorū malè firmanr regulā,  
quæ de ævo *Caroli M.* loquitur. Multa enim inter utramq; æta-  
tem potuerunt occurrere mutationibus rerum ansam præbena-  
tia. *Quinto* major falsa est, cum non modò allodia, sed feuda  
quoq; dotis titulo ad alios transferant: accedente vel pacto gen-  
tilitio; vel feudi qualitate: vel etiam eorum, quorum interest, consensu.  
Sic viget hodieq; in feudis multis inferioris Saxoniae, West-  
phalæ, Frisiæ aliarumq; provinciarum mos quidam succeden-  
di, ut nullis masculis exstantibus filia nati maior, *Sine Erb-  
Zungfrau/ Erbtochter* in seculis admittatur. Talè appellat Bro-  
tius *Hiddam Wolpensem, Alberti Ascaniensis* conjugem. Sic ad  
*Otonem Anhaltinum* Marchionatus Soltquellenfis sub auspici-  
is *Magni Billingii* non modò dotis titulo, sed etiam agnationis  
lege revertebatur. Erat quidem *Gener Billingii*, verū quoq; *Ag-  
natus & successor Esici V.* cuius Majorib; interq; eos *Alberto VI.  
Henricus II. Imp.* provinciam istam *Henetis* creptam novo isto  
titulo & sub nexu beneficii contulerat. Sic de illius ipsius no-  
visimi *Billingii* terris frustra contendebant *Henricus Niger*, &  
iste *Otto Ascanius*. Uterq; uxoris jure nitebatur, erantq; *Otonis*  
partes potiores. non quòd is, prout *Krantzius* scribit, fortunæ  
videretur tenuioris: sed quia *Magni Billingii* filiam nati maio-  
rem *Helicam*, die *rechte Erbtochter* duxerat. Neutri tamen titulus  
dotis profuit. Vicit tandem *Henricus Niger*, non favore uxoris,  
sed nuptiarū, quas *Filius eius cum filia Lotharii Imp.* celebra-  
rat. Ad hanc enim ducatus Saxoniae, capto & damnato *Magno  
Bilingio, Henrici IV.* liberalitate pervenerat, quæ *Spangenberg-*

gius inter feuda Imperii expressè recenset. Hic itaq; & feudis Possessor & Parens, mascula prole destitutus, Ducatum illum ad Generum dotis nomine, transferre potuit; quia etiam Imperator erat. Alioquin nudum dotis titulum in eiusmodi Magnatū bonis non satis tutum nec validum fuisse, exinde cognoscitur, quòd Otto Liberalis, Dux Brunsvicensis et Frater Halberstadiensis Episcopi Alberti II. Marchia veteri iterum exciderit, quam Agnes, Electoris Brandenburgensis Filia & Vidua, illi dictis loco attulerat.

Videntur non nihil obstare verba illa apud Scriptores veteres: hereditario jure: hereditas &c. quibus illi passim & sine cura utuntur. Sic Abbas Stadenfis circa A.C. 1235, ita scribit: In ipsa curia Dominus de Lüneborch Otto Brunsvig & Lüneburg & omnē hereditatem suam imperio resignavit, & Imperator Brunsvicense dominium mutavit in ducatum, & duci porrexit. Verum intelligitur hīc & alibi per jus hereditarium vel per hereditatem dignitas & successio feudalis quidem: ad heredes tamen, descendentes & collaterales, transitoria. Quando itaq; Godefridus Monachus S. Pantaleonis Coloniae sub A.C. 1195, scribit: Cunradus Palatinus de Rheno obiit: cujus dignitates & beneficia Henrico, Filio Henrici quondam Ducis Saxonie, cesserunt: Is enim filiam eius unicam uxorem duxerat; addit alius, Helmoldus nimirum in historia Slavorum lib. 4. c. 20. Nec tantum Imperatoris gratiam, sed & omnem dignationem Soceri sui de manu Imperatoris suscepit jure beneficiario. Legi potest diploma apud M. Freherum 1. p. origin. Palatin. c. 11. quomodo Cunradus iste Palatinus Filiae suae in feudis prospexerit. Sic Otto, Ludovici F. Dux Basvaria, teste Andrea presbyt. Ratisponensi, Henrici Palatini (est ille ipse, de quo jam verba fecimus,) filiam uxorem duxit, & principatum eius obtinens, Heidelberg & omnia ipsius hereditarie possedit. Sed diploma producit idem Marq. Freherus p. 1. c. 10. quod Heidelberg feudum Wormatiensis Ecclesiae fuerit, feudi quoq; jure & nova investitura ad Ostonē pervenerit. Falsa itaq; est, ut haecenus vidimus, Eclipseos maior propositio.

Ad

Ad § 24. addita sunt sequentia:

*adimplendo piissimi Mariti ultimam voluntatem.*

Malè impletur voluntas, quæ vel planè non exstat, vel falsam jure & honore salvo exstare nequit. Si piissimus fuit *Otto Princeps*, (de quo haut dubitatur) utiq; tabulas impias nunquam scripsit, in hostis gratiam & Familiæ suæ summam injuriã.

Ad § 25. ponitur, pro (exinde primùm) longè post primum.

Thesis prioris editionis satis falsa esse poterat, absq; hujus editionis nãvo. Nam suprã ostendimus, quòd allegatio tituli atq; investituræ post Viduæ facinus, neq; exinde primum, multò minùs longè post primum, sed ante idem facinus facta fuerit.

Ad §. 30. ponitur pro (observatã) obtentã.

Ad § 35. ponitur pro (V Valdeccensi V Valbeccensi).

Deprehenso hoc errore, ad manus tandem nostras *Chronicon Walbeccense Meybomii* pervenit. Vocat autem eundem *Sigefridum Comitem*: neq; *Kroppensted* illud prædicatum negat. Loquitur itidem de bonis Donatori propriis, inter quæ licèt referatur pagus illius temporis *Kroppensted*, nondum tamen sequitur, quòd nulla bona *Kroppenstedensis Comitatus*, feudi, quæ nomine & jure insignita fuerint. Sæpenumerò enim, & vel maximè illis antiquis temporibus, contigit, ut Episcopo vel Abbati jura nonnulla in locum Comitatus aut Dynastiæ honore insignem concederentur quæ tamen nec dignitatem ipsam, nec omnia bona, multò minùs feudalìa abtorbere vel extinguere poterant.

Inter § 37. & 38 inserta sunt sequentia:

*Intere à non negandam, cathedram hanc Pontificis Maximi sententiæ late contra hanc imperatorem paruisse, ac ipsum obinde odio persecutum fuisse episcopum & clerum.*

Nos hoc suprã §. 37. & 38. pernegavimus, nec ullus apud produci potest, quòd cathedra illa sententiæ Papali subscripserit. Cathedra nimirum illa, cui Episcopus A.C. 1329. certa cautione prospexerat, ut Pontificis jussa audentiùs & tutiùs posset contemnere.

In § 48 ponitur pro (sensuam quovis modo promovere studuerint) quidvis interea in hac aula impetrare potuerunt. Si

Si quidvis impetrare potuissent Principum Majores, jam pridem quievisset querela de commisso spolio. Falitur autem Eclipsis, quando excommunicationem promiscuam concessionis causam facit, Nihil sanè aliud *Bernhardus III.* ab Imp. perperam excommunicato impetravit, nisi quod ipse, quam ejus Parens ab Imp. nondum excommunicato obtinuerant. Et cur laudatissimi Successores, ab excommunicatione omni liberi, in concessionibus æquè faciles, imò & largiores deprehendantur, si tales excommunicationi imputandæ fuerint? Cur ne *Carolus IV.* quidem, quamvis *Ludovici Anti-Cæsar*, ab iisdem abhorruit?

In §. 41, omittuntur verba: *agri somnia sunt.*

Rectè: erat enim gravissima injuria, *assertionem Imperatorum, Electorum & Principum agri somnia dicere.*

Inter §. 41 & 42. inserta sunt sequentia:

Inter alia verò *Wegelebium* ab initio subjectum fuisse Episcopatu in eo (sc. laudo) asseritur:

Ita est: & hoc castrum cum suis pertinentiis pars querelæ Ottonianæ. & postea *Bernhardinæ* fuit. Quare Eclipsis tandem peculiare processus & causas separatas somniare desinat. Quomodo aliàs Ecclesia castrum illud ad se pertrahere voluerit, supra in *Manifesto lit. K. §. 23.* indicavimus.

In §. 56. ponitur pro (defin. 52.) *defin. 82.*

Neq; in hac tale quid reperitur, quod Eclipsis ex *Fabro* imputatur,

In §. 63. addita sunt: *sua maximè sumtibus.*

Sua non erant, id quod supra sæpiùs diximus. Sumtus, si quos Ecclesia, jure posthabito, in bellum illicitum fecit, sibi imputet.

In §. 67. omissa sunt verba: *ad fores adamat a Chvisidini*

In §. 69. negativa in fine omittitur.

§. §. 70. & 71. omisi sunt: postea sequuntur 75. 76. 77. 78.

In §. 72. Error Grammaticus sublatus est.

F I N I S,

Lit. D.

CA.

# CATALOGUS RERUM ASCANIENSIVM:

*Quæ maximam partem à Clero seu Ecclesia  
spolio involuebantur;*

## I.

**C**uria seu tribunal infra molendinum ante oppidum ASCANIÆ, dictum scamnum publici iudicii. Veteribus Francis mallos appellabatur, ubi sub dio ius reddebant. Spectaverunt ad hoc tribunal: 1. *Welsleben maius.* 2. *VVelsleben minus.* 3. *Zernowitz.* 4. *Zabquitz.* 5. *Naulitz.* 6. *Vallersleben.* 7. *Badensted.* 8. *Daldorp.* 9. *Sehdorp.* 10. *Erxleben.* 11. *Villa Monasterii in Suburbio.* 12. *Villa D. Johanni.* 13. *VVinningen.* 14. *VVilsleben.* 15. *Novum oppidum Ascania.* 16. *Harkerdorp.* 17. *Villa Monachorum in Hedersleben.* 18. *Häfeldorp.* 19. *Schadeleben.* 20. *Gatersleben cum aliis bonis.*

## II.

Tribunal in *VVettersleben*, quò pertinebant: 1. *VVettersleben.* 2. *Minus VV. dersted.* 3. *Majus VV. dersted.* 4. *Brandsorp.* 5. *Neudorf.* 6. *Hedersleben.* 8. *Rodesdorp.* 9. *Podelitz.*

## III.

Domus in *Aschersleben*, quam *Burggraviatum* appellabant, cum *Monte Ascania* & castro ibidem exstructo. Huc pertinebant sequentia cum tribunalibus, ubi reperiebantur: 1. *Oppidum Ascania ultra lapides.* 2. *Oppidum ibidem ultra aquam.* 3. *Officium Sculteti.* 4. *Ius monetae.* 5. *Ius vectigalium.* 6. *Ius habendi Judeos.* 7. *Ius nudinarum.* 8. *Molendinum prope piscinam.* 9. *Piscina.* 10. *Locus ad montem Ascaniae piscine adaptatus.* 11. *Horti lupi salictarii.* 12. *Vvee.* 13. *Septuaginta hube agri.* 14. *Quing. marcarum annui redditus ex publico futorum edificio.* 15. *Tres nummorum librae ex VVegeberge.* 16. *Novem nummorum librae ex novo oppido.* 17. *Platea Judeorum.* 18. *VVegeberg.* 19. *Novum molendinum.* 20. *Semita Sutoria.* 21. *Reditus annui duorum millium florenorum ex omnibus molendinis.* 22. *Vetus Castrum.* 23. *Praefectura Sneideringen cum omnibus pertinentiis.* 24. *Börnike cum omnibus pertinentiis.* 25. *Oppidum & castrum VVegeleben cum adjacentibus.* 26. *Jurisdictione q<sup>3</sup> ad locum Freveli &*

in

In Eilversdorff. 27. Sarcksted. 28. Ius lignandi prope Hecklingen & in Volckmanns rode. 29. Quinquaginta marca annui subsidii. 30. Prata & agri in Badensted. 31. VVebelitz cum pertinentiis. 31. Castrum & ius patronatus in VVestorp. 32. Kochsted. 33. Cœnobium, parochie aliq̄ bona Ecclesiastica, quæ à Fundatoribus Anhaltinis proficiuntur. 34. Domberg. 35. Sylva Hackel. 36. Cœnobium Groningen cum suis pertinentiis. 37. Brmsleben. 38. Kroppensted Comitatus cum 22. pagis, tribunalibus, iurisdictione & advocatia. 39. Comitatus Hadmersleben cum oppidis, castris, pagis. 40. Iura foresti cum omnibus forestis.

## IV.

Aliquot feuda: Duodecim apud Comites de Mansfeld: Stolberg Hohnstein: Regenstein: VVernigeroda: Blanckenburg: Quersfurt: Beichlingen: Kroppensted: Falckenstein: Barby: Lindau. Quatuor apud Dominos in Schraaplau: Hadmersleben: Heldrungen: Hackeborn. Viginti & plura apud Equites Famulos & Ingenuos de Frose: Sprone: Nienburg: Neindorp: Altenburg, VVinckel: Steckelberg: Schlichtinge: Stammer: VVarmsdorff: Alsleben: Barthe: Arme: Gatersleben: Bodendick: Bornigke: Voigt. Troste: Quaste: Quarter &c.

## Lit. E.

## Confirmatio &amp; Privilegium

D. MAXIMILIANI I. IMP. CUM  
Iussionibus & decretis LUDOVICI IV.  
IMP.

**N**OS MAXIMILIANVS, DEI gratia, Romanorum Rex semper Augustus &c, hisce literis fidem publicè notumq; facimus omnibus, Exposuisse Nobis Illustres, Nostros & Imperii Principes Cognatos & fideles dilectos, VVoldemarum, Georgium, Ernestum & Rudolphum Fratres, Principes Anhaltinos, Comites Ascania, Dominos Berenburgi, quòd bona in sequentibus nominata, inprimis urbem Aschersleben una cum aliis castris, pagis & iuribus, nimirum cum Monte, qui Ascania dicitur, & rebus eò pertinentibus, item cum Domo in Aschersleben, oppido ultra lapides, oppido ultra aquam, jure habendi Judæos, nundinarum, moneta, vectigalium, cum iurisdictione in civitate Aschersleben et extra eandem, cum molendino prope castrum vetus, cum piscina & loco piscine destinato, & omnibus aliis ab Imperio

Sacrum recognoscit solitum. Item cum tribunali apud Ascanienses, & cum omnibus huc spectantibus, cum Castro VVestorp & ejus pertinentiis cum tribunali in VVeddersleben & Eilversdorff, cum jurisdictione in Frevelo & omnibus illuc pertinentibus, & Vexillare feudum ASCANIAM spectaverint, feudumq; illud à Nobis & Sacro Imperio lege feudali teneant & recognoscant: quodq; illa ipsa bona Majoribus suis ab Episcopo Halberstadiensi recepta fuerint, ac in hunc usq; diem contra omnem aequitatem detineantur: Et quod ob hanc causam Imperator quondam LUDOVICUS, Noster in Imperio Antecessor, & ex Huius mandato & plenipotencia, Ulrichus de Bebenburg aliquot rescripta, mandata, executionales aliq; precepta emisit & promulgaverit, quae Nobis, sigillis, characteribus & membranis incorruptis, adeoq; omni suspicione carentibus, exhibuerunt, Nos vero continua serie de verbo ad verbum sic loquentia subiecitimus.

I. LUDOVICUS, DEI gratia, Romanorum Imperator semper Augustus Venerabili Alberto, Halberstadiensi Episcopo, Principis suo Dilecto gratiam suam & omne bonum: Innotuit serenitati nostrae, quod civitatem Ascanie, sacro pertinentem Imperio ac descendente in feudum spectabili Viri, Bernhardi Comitis de Anhalt, ratione Principatus Ascanie niteretur surpare. Cum vero jura, praesertim quae circa Principatus Imperii consistunt, conservare, manuteneri, & defendere sub vinculo juramenti praestiti teneamur, sinceritate tua sub debito, quo Nobis & ipsi astringeris Imperio, hortamur, requirimus & monemus, quatenus desistas ab huiusmodi, nec ad ea, quae tibi non pertinent, maxime in hoc casu, velis apponere manus tuas, sed prout teneris ex debito juramenti, res & honores Imperii augeas, foveas & defendas. Quod si aliquid juris tibi diceres, vel in civitate praedicta, competere, si Nos requisieris, plenam justitiam tibi faciemus, solentes sicut Nobis, ita & tibi jura tua & justitiam conservare. Datum Nürnberg post purificationem B. Virginii, Regni nostri anno decimo nono, Imperii vero sexto.

II. LUDOVICUS Dei Gratia, R. J. S. A. Venerabili Alberto Episcopo Halberstadiensi, Devoto suo Dilecto, gratiam suam & omne bonum: Conquestus est Nobis spectabili Dilecto, Bernhardus Comes de Anhalt, quod tu ipsum in civitate Aschersleben & quibusdam bonis aliis, quae à nobis & Imperio in feudum obtinet, contra jus, nullo tibi iure ad ea penitus competente, impedis & perturbas ipsum, eadem civitate & bonis contra DEUM temere spoliando. Quocirca devotionem tuam attentius requirimus & mandamus, quatenus dicto Comiti bona praedicta restitueris, istum in eisdem amplius nequaquam impedias nec perturbes, si Nostram volueris gratiam conservare, vel saltem coram Nobis, qui sumus Domini feudi, ostendas, quo iure tibi pertineant: alioquin



ipsum in jure suo defendere compellimur, iustitia mediante. Harum literarum testimonio. Datum in Herbipoli feria sexta post festum B. Catharinae Virginis, Regni nostri anno vicefimo, Imperii vero sexto.

III. LUDOVICUS, DEI gratia, R. J. S. A. Honorabilibus Viris Praeposito, Decano & Capitulo Ecclesiae Halberstadenfis, Devotis suis dilectis gratiam suam & omne bonum: Conquestus est Nobis spectabilis Vir, Bernhardus Comes de Anhalt, fidelis Noster dilectus, quod ipsum vestrae Ecclesiae Episcopus in civitate Aschersleben & bonis, quae ab Imperio in feudum obtinet, temere impedit, ipsum & iisdem contra DEUM & iustitiam spoliando. Quare devotionem vestram attentè requirimus & hortamur, quatenus dictum vestrum Episcopum ad haec efficaciter inducatu, ut dicto Comiti bona sua restituat supra dicta, in quo Nobis poterit specialius complacere, vel quod saltem coram Nobis ostendat, quo jure sibi pertineant: Alioquin dictum Comitem in iure suo defendere compellimur, iustitia mediante. Harum testimonio literarum. Datum Herbipoli feria sexta post festum B. Catharinae Virginis, Regni Nostri anno vicefimo, Imperii vero sexto.

IV. LUDOVICUS DEI gratia, R. J. S. A. Prudentibus Viris, Confalibus a universis Civibus civitatis Aschersleben, fidelibus suis dilectis gratiam suam & omne bonum: Quanquam vos pleno jure spectabili Viro, Bernhardo Comiti de Anhalt, fideli Nostro dilecto dudum in feudum contulerimus, vos tamen ab eius obedientia discedentes Episcopo Halberstadenfi vos subiecistis in grande dispendium & discrimen. Quare fidelitati vestrae districtè precipimus & mandamus, quatenus ab obedientia dicti Episcopi recedentes dicto Comiti obediatis, tanquam vestro vero domino, & à nobis feudaliter investito, nisi dictus Episcopus legitimis edocuerit argumentis, Vos sibi & non Comiti pertinere supra dicto. Secus autem si feceritis, gravem nostrae indignationis offensam vos noveritis incurrisse. Datum Herbipoli feria sexta post festum B. Catharinae Virginis, Regni nostri anno vicefimo, Imperii vero sexto.

V. LUDOVICUS DEI gratia, R. J. S. A. Venerabili Alberto, Episcopo Ecclesiae Halberstadenfis, Devoto suo dilecto, gratiam suam & omne bonum: Ex querimonia Illustris Berchardi, Principis in Anhalt, fidelis Nostri dilecti, Nostrae innotuit Maestati, quod tu civitatem Aschersleben, ipsius principatui, de quo per Nos est in feudum investitus, pertinentem occupaveris violenter, & adhuc occupatam teneas, in grave suum dispendium & discrimen. Quare sinceritatem tuam rogamus, monemus & seriosius exhortamur, quatenus, cum ita est, praedicta civitas Principi in Anhalt, qui à Nobis & Imperio in feudum descendit, pertineat.

neas.

ne at, nihilq; juris tibi competat in eadem, sibiq; restitua, & ab ipsius occupatio-  
ne desistas penitus & omnino. in hoc Nostra Celsitudini specialiter complacendo.  
Datum Nürnberg feria sexta ante Invocavit, Regni Nostri anno vicesimo primo,  
Imperii vero octavo

VI. LUDOVICUS DEI gratia, R. J. S. A. Prudentibus viris, Con-  
sulibus, totiq; Communitati & Civitati Aschersleben, fidelibus suis dile-  
ctis gratiam suam & omne bonum: Significante Illustri Bernhardo, Principe in  
Anhalt, fidei Nostro dilecto Nostra intellexit Maiestas, quod vos vestraq; civitas  
praedicta quae tamen suo pertinet Principatu, qui à Nobis & Imperio in feudum  
descendit, & de quo est per Nosram Celsitudinem investitus, à sua obedientia re-  
cesseritis, ac Venerabili Episcopo Ecclesiae Halberstadenensis & ipsius mandati in o-  
mnibus pareatis, in grande suum praedictum & gravamen. Quare fidelitatem  
vestram seriofius exhortamur, volentes nihilominus & mandantes, quatenus, cum  
est ita, quod vos dictaq; civitas vestra Principi in Anhalt pertineatis, à subiectione  
praescripti Episcopi Halberstadenensis recedatis & praefato Bernhardo Principi in  
Anhalt intendatis, & vestris debiti obsequiis pareatis. Datum eodem loco & tem-  
pore, ut supra

VII. LUDOVICUS DEI gratia, R. J. S. A. hisce publicè notum faci-  
mus, quod Virium de Bebenburg, Vasallum Nostrum, in Principatum Anhalt  
& ad Comitatum Aschersleben mittimus, & constituimus illum Huius Admini-  
stratorem plenipotente Nostra illi ad proponendum & agendum concessa, ut dile-  
ctum Nostrum Principem in Anhalt, Comitem Bernardum, dilectum Nostrum  
Cognatum mittat in possessionem omnium bonorum, quae illi feudi nomine contuli-  
mus, & quae eius Principatus & vexillari feudo pertinent, volentes, ut vigore har-  
um nostrarum literarum eidem praedicta tradat possidenda, ac si ipsi praesentes es-  
semus, ET QUEMADMODUM VENERABILIS OTTO, ARCHIE-  
PISCOPUS MAGDEBURGENSIS PRINCEPS NOSTER IN SUO  
LAUDO PRONUNTIAVIT. Et qui illi impedimentum obiecerit, is sciat,  
quod in Nos & Imperium delinquat, pœnis Nostris adeò subiciendus. Harum te-  
stimonio literarum. Datum Francofurti d. Lune post diem Bartholomei, A. C.  
1340. Regni Nostri vigesimo Sexto, & Imperii decimo tertio.

VIII. LUDOVICUS DEI gratia R. J. S. A. omnibus Judicibus seculari-  
bus, Scultetis & Praefectis, qui ius dicunt in tribunalibus & iudiciis ad principa-  
tum Anhalt & Comitatum Aschersleben pertinentibus, fidelibus Nostris dilectis  
nostram gratiam & omne bonum: Requiritur vos, mandantes vobis ut vos omnes  
ad invocationem dilecti Nostri Principis, Comitis Bernardi de Anhalt in iudicio

compareatis, vestro officio, prout quemq; de iure decet, functuri coram Commissario Nostro Ulrico de Bebenburg, Vasallo nostro, cui sufficienter usandavimus, ut vigore harum literarum predictum Principem, Comitem Bernhardum de Anhalt mittat in possessionem omnium bonorum, quae a Nobis & Imperio in feudum obtinet, & quae ad eius vexillare feudum pertinent, in quibus ipsum impedit Episcopus Halberstadensis contra iura & nostram voluntatem. Et iniungimus vobis sub periculo amittendae Nostrae gratiae, ut dictum Principem, Comitem Bernhardum de Anhalt introducat in possessionem omnium istorum bonorum, & Episcopo Halberstadensi judicialiter denuntietis, ut a bonis illis discedat, siquidem Nos illi nihil juris in istis concedimus. Datum eodem loco & tempore.

IX. Ulricus de Bebenburg, Vasallus Imperii hisce literis fidem publicam, & simul notum facimus omnibus, qui has vident vel audiunt, quod nomine LUDOVICI Imperatoris, Domini nostri charissimi, qui nos in Principatum Anhalt & Comitatum aschersleben cum mandatis suis ablegavit, Spectabilem Principem, Comitem Bernhardum de Anhalt verè ac justè in publico loco solenni iudicii missimus in possessionem omnium eorum bonorum, quae ad eius vexillare feudum & Principatum pertinent, & infra descripta sunt, uti est Mons, qui Ascania vocatur, cum omnibus pertinentiis, Domus in aschersleben, oppidum ultra lapides, oppidum ultra aquam, jus Iudeos habendi, nundinarum, monetae, vectigalium, Jurisdictio extra civitatem & in civitate aschersleben, molendinum prope vetus castrum, piscina & locus piscine destinatus, omniaq; ea, quae ab Imperio recognoscuntur, tribunal ascaniense cum omnibus rebus illuc spectantibus, Castrum Vestorp cum omnibus pertinentiis, Kochsted cum bonis illuc pertinentibus, tribunal in Veddersleben, Silversdorff & Frevelo, cum omnibus, quae ad ista pertinent. Et hoc predicto Principi, Comiti Bernhardo de Anhalt fecimus ratione omnium istorum bonorum in ipso territorio, ubi bona illa sunt sita: Factum quoq; id fuit in presentia Spectabilium Principum, Ducis Rudolphi de Saxonia & Ducis Rudolphi F. ejus, Comitis Alberti de Anhalt, N. de Hackborn, Comitis Frederici de Beichlingen, & aliorum Dominorum in magna frequentia. In fidem & testimonium literis hisce sigillum nostrum appendimus. Datum Bernburg A.C. 1340. d. s. Michaelis, sancti Angeli.

His ita exhibitis, Principes illi Nos humilimè implorârunt & petierunt, ut indein hasce literas actaq; in eis expressa per omnes articulos, contenta & in sui intellectibus renovare, confirmare, corroborare, mutare, & amplificare,

eosq; si quid pro iurium suorum favore neglectum antea fuisset, eatenus  
 restituere, omnia supplere vel redintegrare, & illis ita prospicere dignaremur, ne  
 in posterum & tandem, quo ad iura sua opportuno tempore & convenienti modo  
 recuperare & apprehendere possent, ulla prescriptio vel ommissio aliquid damni aut  
 prejudicij inferret. Quas humilimas & juri consentaneas preces, ut & pergratam  
 atq; utilem operam, Nobis & Imperio sepe ac promte navatam, quam & in poste-  
 rum prestare possunt ac debent, considerantes Nos ex certa scientia & bono  
 consilio, Principibus Anhaltini literas supra allegatas in omnibus & singulis suis  
 punctis, articulis, intellectibus & contentis, prout de verbo ad verbum sonant,  
 clementissime renovavimus, confirmavimus, & corroboravimus. Præterea si ob  
 diuturnitatem temporis prescriptio adversus eos allegetur, vel quippiam ab illis  
 aut ipsorum Majoribus quo unq; modo per incuriam omissum aut neglectum fue-  
 rit, adversus hoc restitimus illos, neglecta, omnia vel alios defectus supplendo,  
 resarciendo, redintegrando, reponendo quoq; illos in illum statum, ac si literæ  
 supra adductæ à Nobis & sub Nostro nomine, ex Nostro quoq; manda-  
 to profectæ essent: addito in eorundem gratiam atq; favorem & hoc privile-  
 gio, quod nunc & postea nulla prescriptio nullaq; temporis diuturnitas iis nocere,  
 aliisve prodesse debeat. Quod si etiam nunc & in futurum Episcopus & Capitu-  
 lum Halberstadense, Senatus & civitas Eschersleben, vel quippiam alius judicia-  
 liter vel extrajudicialiter excipere velit, hoc, quod supra scriptum est, illis in sci-  
 is & inauditis impetratum & concessum fuisse, tunc neq; hoc talibus contra im-  
 petrata & concessa quicquam proficere, neq; cognatis Nostri de Anhalt, eorum  
 heredibus & successoribus circa harum literarum contenta & supra scripta nocere,  
 nullamq; lesionem & nullum dampnum inferre debet poteritq;: nullo plane  
 modo. Nam hæc omnia, quæ supra dicta sunt, ex vera & fundamentali infor-  
 matione atq; inquisitione fecimus. Et facimus hoc ipso omnia & singula ex  
 Romanæ Regiæ potestatis plenitudine absoluta, ex motu proprio & cer-  
 ta scientia, vigore harum literarum, quantum Nobis in genere & specie ex justo  
 & æquo, vel ex gratia facere licet. In huius rei testimonium & fidem sigillo No-  
 stro Regio hæc munivimus, Dab. in Nostri & Imperii Civitate VVormatia, de-  
 cimo die mensis Decembris A. C. 1495. Regnorum nostrorum, Romani decimo, &  
 Hungarici sexto.

Ad mandatum Domini REGIS proprium BARTOLDUS,  
 Archiepiscopus Moguntinus, Archicancellarius sub-  
 scripsit.

## SEQUUNTUR

## PROTESTATIONES

*Nomine Illustrissimorum Principum Anhaltinorum in hac ipsa causa Anno Christi 1647. & 1648. inter Tractatus Pacis universalis in idiomate vernaculo exhibita, & hic latinè reddita.*

P. P.

**Ad** **VV. Illustriss. Gratos atq; Excellentiarum re-**  
**Dominos Legatos & Plen-** **centi memoriz procul dubio adhuc obveratur,**  
**ipotentiaros SAC.** **quid apud Easdem nomine Celsissimorum Prin-**  
**CÆS. MAIESTATIS.** **cipum Anhaltinorum, Comitum Saxoniz, Do-**  
**minorum Servitzæ & Bernburgi, Dominorum meorum clementissi-**  
**morum, in causa illorum antiquissimum & Gentilitium Comitatum**  
**ASCANIÆ concernente, aliquoties tam in scriptis, quam ore tenus hic**  
**& Monasterii proposuerim atq; instantissimè petierim. sperabant utiq;**  
**clementissimi mei Principes, locum fore iustissimæ illorum petitioni in**  
**causa liquidissima, in primis cum de notabili mutatione & hereditaria**  
**translatione Episcopatus Halberstadiensis agi cœpisset: unde & remedi-**  
**um ac dispositionem juri consentaneam præstolabantur. Quia vero, causæ**  
**hæc seposita, nihilominus tractatus in materia satisfactionis progre-**  
**diuntur, Episcopatu dicto in consuetudinem istius veniente, & quidem eo**  
**modo, quo hodie vulgò æstimatur, & per bona manifesti spoli, Famili-**  
**arq; Anhaltinæ, cui antiquissima illa Imperialia & Gentilitia feuda**  
**juxta fas divinum & humanum competebant & adhuc competunt, im-**  
**probè erepta auctus extenditur: ideo summa me impolitæ necessitas, ut**  
**pro conservando jure manifesto meorum Celsissimorum Principum**  
**hanc protestationem & reservationem solennem S. Romani Imperij**  
**Directorio offerrem, eiusdem que publicationem, mediante dictaturâ,**  
**diligentissimè peterem. Deferrî debuit Eadem quanto citius & ad VV. Ill-**  
**ustr. Gratos. & Excellentias cum debita reverentia, & humili ac enixa**

petij:

petitione, ut hoc remedium Protestationis, illustrissimi juris Anhaltini, Caesareum quoq; executorialium & privilegiorum conservatorium, adeoq; omni iure licitum, a quo animo excipere, & huius protestationis eo in loco, ubi de translatione Episcopatus Halberstadiensis in pacis Instrumento agitur, expressam mentionem facere, relationi verò suae humilimè ad S. Caesar. Maest. directæ hæc ipsa momenta tali modo inserere dignentur, quò Illa ad opem Principibus meis clementissimis hæc in patre ferendam, & realem executionem celerius imperandam magis magisque permoveatur, Hoc &c. Dab. Osnabrugis d. 3. & 13. Februarii 1648.

*Martinus Milagius Legatus Anhaltinus.*

PP.

*Ad Dominorum Electorum Legatos, Ordines Imperii & Absentium Legatos.* Quomodo antiquissima Domus Anhaltina Comitatu suo Gentilitio & Feudo vexillari, ASCANIA, per meram violentiam & iniustitiam Episcopatus Halberstadiensis superioribus seculis deiecta, atque hoc nomine querela ad aulam Caesaream delata, eo usq; etiam deducta fuerit tandem LUDOVICUS IV. Imperator executionem contra dictum Episcopatum decerneret: quomodo itidem, cum executio ista propter adversariorum nimiam præpotentiam temporumq; iniuriam ad verum & plenum effectum perducere non posset, nihilominus Principes Anhaltini continua atq; nunquam interrupta serie, adeoq; & præsentis Principes, Domini mei clementissimi, à moderna S. Caesar. Maest. de isto Comitatu investiti, eiusdem titulo, nomine & insignibus honorati, & peculiari privilegio de non præscribendo contra lapsum, iniquitatem & periculum temporis optimè muniti fuerint: id omne ex *Manifesto* typis exscripto & per distributionem divulgato satis superq; perspicitur, cum tanto circumstantiarum fulgore & tam solido fundamento, ut contra illud, & executionem diu decretam institutamq; dicti Episcopatus præensiones illiquidæ, altioris indaginis & ad reconventionem rejiciendæ, nuper quoq; sparsa Eclipsis Halberstadiensium nihil planè operari, longèq; minus præstare valeant, quàm

quàm si eclipsis naturalis illustrem Solis faciem extinguere debeat vel possit.

Quamvis autem *incluta Domus Anhaltina* iura hac ratione omnibus manifestissimè paterent, tamen cum Episcopatus iniustitia & violentia eum detentionis diuturnitate continuos progressus faceret, *clementissimè* *Principes* adacti fuère, ut omnibus in locis pro occasionis ratione, maxime autem & inter *hos splendidissimos paci universalis tractatus*, quorum præcipuus scopus est *suum cuiq; tribuere & omnem discordia materiem funditus tollere*, de iniustissima hac detentione subinde & iteratis vicibus conquererentur, & restitutionem ante aliquot secula decretam vehementius urgerent. Inprimis hoc tempore, quo Episcopatus in partem *Satisfactionu* vocatus *Serenitati Electorali Brandenburgica* hereditario iure offertur, sui officii esse iudicârunt, monere ac instare diligentissimè, ut dictus Comitatus à puncto satisfactionis segregatus sibi tanquam *Veris Comitibus Ascania & Domini legitimi* sine ulla mora redderetur. Haftenus quidem nihil horum impetrari potuit, sed fama percrebuit, cum dicto Episcopatu etiam illa bona *Comitatus Ascaniensis*, quæ per manifestum spoliū subtracta sunt, adeoq; cum satisfactione confundi, & *Electoralis Serenitati Brandenburgica* nihilominus offerri velle. Id quod vel ideo *Principibus anhaltini* tanto gravius accidit, quia ipsamet *Sacra Casarea Maiestas* solennem investituram super hoc ipso Comitatu illis contulit, Eiusq; tanquam Domini feudi vel maximè interest, vitium quoq; rei oblatæ soli meridiano expositum in hoc magno *Conventu* ad Cuiuscunq; inprimis etiam *Electoralis Serenitati Brandenburgica* scientiam, demonstrationibus & viva voce & scripto factis, pervenire. Equidem in medio hac vice tandem inviti relinquunt, quòd petita sua hisce tractatibus inidonea & ab illis aliena visa fuerunt. Interea tamen nequaquam in eam sententiam descendunt, quòd rerum & iurium suorum oblivionem statim induere, & iuribus suis manifestissimis renuntiare velle debeant. Imò verò ea spe certa fruuntur, fore omnino, ut, quemadmodum illi nemini ius suum, adeoq; nec *Electoralis Serenitati Brandenburgica* satisfactionem debitam invident, sed cuiq; potiùs omnem felicitatem precantur & gratulantur, ita nemo quoq; multò minùs *S. Casar. Majest. vel Electoral. Brandenb. Seren.* oblationem istam & translationem Episcopatus cum latione & jactura *iurii Anhaltini* coniunctam esse cupiat. Ut autem hoc nomine plenius securi essent, non potuerunt non toti *Imperio Romano*, præcipue

ceipue S. Caf. Majestati, Supremo suo Magistratui, Coronæ Exteri & vel maxi-  
 mæ Electorali Seren. Brandenburg. jura & circa Comitatum ASCANÆ sibi  
 competentia, desideria sua suamq; hanc mentem adhuc semel exposi-  
 re. Testantur itaq; in conspectu totius Imperii & Potentissimarum Co-  
 ronarum, & verbis conceptis profitentur, se in oblationem & translatio-  
 nem ejus, quod ad suum Comitatum Ascaniensem pertinet, & per Episcopatum  
 Halberstadiensem illicito modo sibi ereptum fuit, consentire nec posse, nec velle  
 nullo planè modo. Quin & solennissime ac in optima juris forma protes-  
 tando conservant sibi sua jura, prima quaq; occasione persequenda,  
 contradicentes solenniter omnibus illis, quæ de facto aut etiam sub specie  
 juris ullum impedimentum creare vel ducere possunt. Hæc dum ita  
 faciunt, certò confidunt, S. Casar. Majest. in hac causa justissima ad im-  
 plorationem humilissimam Ipsis auxiliatricem manus clementissimè por-  
 recturam, Seren. verò Electoral Brandenburgicam coniu. Cæ huic & con-  
 gnatæ Familæ Anhaltinæ, variis modis hætenus satis superq; ass. Cæ  
 lubenter permissuram, & suffragii sui propitii valore eff. Curam, aut  
 saltem hætenus non fore difficilem, ut Principes Anhaltini id ipsum  
 tandem realiter consequantur, quod Ipsis DEUS, jus naturale, senten-  
 tia, iussa & Executoriales Cæsareæ in hac causa jam pridem obtulerunt.  
 His ita præmissis, Principes mei Clementissimi omnes Status S. Rem.  
 Imp. cuiuscunq; gradus eo, quo decet, modo & enixè compellant, ro-  
 gantq; ut hanc necessariam protestationem & conservationem juris sui  
 approbare, & tam apud Dominos Cæsareos, quàm Dominos Regios Legatos  
 Plenipotentiaros operam studiq; sua eatenus interponere velint, quò in-  
 clutæ Familæ Anhaltinæ jura & implorationes in causa Ascaniensi Pa-  
 cis instrumento loco convenienti, ubi de cessione Episcopatus Halber-  
 stadiensis dispositio exstat, inferantur, atq; per hanc reservationem &  
 protestationem nominatim ibidem expressam muniantur: prima etiam  
 occasione executio diutissime decretata realiter repetatur & perficiatur,  
 Hoc etc. Dab. 2. Februarii. 1647.

Martinus Milagius Legatus An-  
 haltinus.



D. G.

Ad  
 Dominos  
 Caesares  
 Legatos  
 Plenipo-  
 sentarios.

AUGUSTUS,  
 LUDOVICUS,  
 JOHANNES-CASIMIRUS,  
 CHRISTIANUS,  
 FRIDERICUS &  
 JOHANNES,

Principes Anhaltini, Comites Ascaniæ,  
 Domini Servestæ & Bern-  
 burgi, &c.

P-P.

**P**rocul omni dubio adhuc in scriniis actorum publi-  
 corum exstat, quod, durantibus pacis universalis  
 tractatibus, anno 1646. & 1647. Dilect. V. V. &  
 Dominis de antiquissimo nostro Gentilitio Comi-  
 tatu Ascaniæ eiusdemq; restitutione Nobis facienda per  
 Legatum Nostrum aliquoties proposuimus, & respectu  
 protestationis necessariæ a Nobis illo nomine interpositæ,  
 ad Dil. V. V. & Dominorum notitiam, cum petitione  
 sedula, deferri curavimus: qua de re ea ipsa, quæ vindi-  
 ciarum scripto publico ad calcem subjici fecimus, legi  
 possunt.

Equidem ante omnia DEO Optim. Maxim. in-  
 gentes pro divina benedictione, VV. autem Dil. & Do-  
 minis pro singulari sollicitudine atq; studio, circa univer-  
 salis pacis negotium, meritas gratias agimus, gratulans

tes

tes Nobis & patria Nostra, quòd caussa ista difficilima  
 & maximè intricata sopita ad metam quietis publicæ  
 pervenerunt. Nostrum erat, juxta conventionis legem  
 & modum, ratihabitionem Nostram maturè transmit-  
 tere; id quòd etiam hac vice præstamus. Quia verò &  
 illud Nobis incumbibat, ut jura Nostra, Nobis in & circa  
 dictum Comitatum Ascania competentia, omni meliori  
 modo custodiremus, ideo ad S. Rom. Imperii Electores,  
 Principes atq; Ordines, Eorundemq; Legatos protesta-  
 tionem iterum inevitabilem denuò ablegavimus. Ex his  
 betur ejusdem exemplar & VV. Dil. atq; Dominis, eam ob  
 caussam, ut illa inspecta & perpensa jus nostrum & scopus  
 noster justus lisdem rectè innotescat, & ad S. Cæs. Ma-  
 jestatis, Domini Nostri Clementissimi scientiam plenios  
 rem penetrare possit. Atq; vel hoc nomine VV. Dil. &  
 Dominos diligenter rogamus & requirimus, ut in loco  
 isto sublimi justissima nostra caussa studiis atq; votis suis  
 faventibus adesse dignentur. Dil. VV. & Dominis ruro-  
 sum officia &c. Dab. d. 1. Decembris Anno Chri-  
 sti 1648.

P. P.

**D**EO benignissimo meritò ingentes gratia, cum  
 devota Nominis ejus celebratione, agenda sunt ex  
 intimis cordis penetrabilibus, quòd Ipso jubente &  
 benedicente diuturni ac difficiles Tractat & eò usq;  
 pervenerunt, ut Patria Nostra universalis Pacis nomen  
 audire ac promulgare, spem quoq; fructuum exinde  
 expectandorum nunc demum certam secum fove-  
 re possit.

Dicimus etiam VV. Dil. & Dominis pro laudas-  
 bili & indefessa cura atq; opera huc collata meritas gra-  
 tias, easdem pro viribus relaturi, quamprimum & quo-

X 2

Ad  
 S. Rom.  
 Imperii E-  
 lectorum,  
 Princi-  
 pum & Or-  
 dinum Le-  
 gatos.

ties

tie. se occasio obtulerit. Et quia officii nostri esse duximus  
 ratihabitionem Nostram juxta conventionis legem  
 transmittere, illam ipsam hac vice ad locum destinatum  
 transferri curamus.

Ceterum non latet VV. Dil. & Dominos, quidnam  
 antehac inter ipsos pacis universalis tractatus, ratione  
 antiquissimi nostri Gentilitii Comitatus Ascaniensis, de  
 quo per Imperatores continua serie investiti sumus, ac  
 etiamnum subinde investimur, in scripto publico omni-  
 bus exposuerimus, & quomodo maturationem atq; tradis-  
 tionem rei diu decise, Nobis addictae, & in terminis exe-  
 cutivis versantis convenienti loco & tempore per Lega-  
 tum nostrum instantissime sollicitaverimus. Deprehen-  
 debamus quidem hic & alibi impedimenta, quae aliorum  
 negotiorum & temporis ratio justitiae & equitati obice-  
 re videbantur. Quamobrem necessitas ipsa nos monuit,  
 ut jus nostrum liquidissimum per protestationem d. 2. 12.  
 Februarii 1647. interpositam, & tum S. Rom. Imperii  
 Directorio Electoralis Maguntino, tum Dominis Cesareis  
 atque Regiis Legatis Plenipotentiaris, VV. quoq; Dil.  
 & Dominis exhibitam conservatam iremus. Nec dubi-  
 tamus ullo modo, id saltem ratum firmumq; fore, & Nos  
 bis omni jure semper competere, quod tum temporis Do-  
 minorum Cesareorum Plenipotentiariorum responsum  
 complectebatur: Nimirum hoc negotium spectare ad lo-  
 cum judicii & ad justitiam, quae per tractatus pacis unio-  
 versalis adfligi nec possit, nec debeat. In materia satisfac-  
 tionis praecipue etiam circa Episcopatum Halberstadens-  
 sem juxta dispositionem juris manifesti hoc merito obti-  
 nere, ut res cum suo onere, causa & qualitate transeat.  
 Idem ut & intuitu Nostrae Gentilitii Comitatus obser-  
 vetur, jus ipsum poscere. Quin potius spe certa alimur,  
 fore, ut Nobis in iudicio id ipsum revera praestetur, & tra-  
 datur

datur, quod iura in causa liquida, re iudicata & terminis executivis desiderant & nobis largiuntur.

Verum enim verò ne forte an hac vice in iuris nostri remissionem & praeiudicium, aut etiam in illud ulla ratione descendisse videamur, quod Quidam in sua Eclipsi fingere & contra nostrum Manifestum Ascaniense moliri voluit, protestationem nostram & hoc in momento repetendam esse ceusimus, vindiciis legitimis isti Eclipsi oppositis. Has V. V. Dil. & Dominis ideo offerimus, ut plenius inde informationem haurire queant. Ac licet ratihabitionem nostram hac vice transmittamus, à Nobis quoque frivolum studium contradicendi omne absit; tamen per ratihabitionem istam protestationi propter Comitatum nostrum Ascaniensem interposita & hic repetita nihil omnino derogatum, multò minùs eam sublatam volumus; quin potius illam omni meliori modo iteramus ac renovamus, cum solenni reservatione omnium iurium & remediorum Nobis competentium, & quae ad ulteriorem persecutionem convenienti loco & tempore necessaria videbuntur. Vestras autem Dilect. & Dominos rogamus, & requirimus, ut hanc iteratam protestationem lubenter suscipiant, ad illis suis memoriae causa insinuari curent, iura etiam nostra inde & ex hoc scripto plenius cognoscant, & nobis opportuno loco & tempore officiiis votisq; suis subveniant, quò antiquissimum nostrum Gentilitium Comitatum absque ulteriori mora recuperare valeamus. Constabunt V. V. Dil. & Dominis rursus officia & c. Dab. 1. 11. Decembris 1648.

D. G. Augustus, Ludovicus, Johannes Casmirus, Fridericus & Johannes, Principes Anhaltini, Comites Ascaniae, Domini Saxeae & Bernburgi.

Ad Lectorem.

Quia per festinationem Typographo errores quidam obrepserunt, illos, qui maioris momenti sunt, hic subiiciendos putavimus, ut emendari possent. Cetera errata in disturbance paragraphorum & versiculorum, item in disputationibus & accensibus commissa, quia, licet frequentiora, nemine tamen non onente facile corrigi possunt, non tangimus. Sciendum autem est, per a. priorem, & per b. posteriorem paginae faciem, per p. paginam, l. lineam, & L. lege donotari.

*Lit. A. fol. 3. l. 23. b. L. nimirum fol. 4. a. l. 18. L. intervientia. p. 8. l. . L. astu. p. 9. a. l. 7. usq. ad l. 24. finales literæ disturbatae, adeoq; à sequenti linea semper ad præcedentem remittendæ sunt. ibid. l. 24. L. aliquid. p. 13. l. 9. L. commissioni. p. 14. l. 1. L. pepercerint Principum Anhaltinorum Maiores. p. 16. l. 9. L. atq; p. 18. l. 27. L. superitite. p. 19. l. 21. L. Principes p. 22. l. 25. L. tam. p. 27. l. 9. L. arbitrium. ib. l. 11. L. lexcentis. p. 37. l. 30. L. quoq; Frisorum. p. 39. l. 4. L. Regum. p. 41. l. 23. L. Marquardus. p. 44. l. 1. L. Palatinus. p. 49. l. 14. L. executionibus Cæsareis. ib. l. 16. L. repubescensibus. p. 51. l. 26. L. quidem. p. 53. l. 19. L. Veterum. p. 66. l. 16. L. agerent. Hic. p. 70. l. 18. L. Gallix. p. 73. l. 10. L. putabimus. p. 76. l. 31. L. petitioni. p. 79. l. 8. L. 2. ibid. l. 22. L. hanc. p. 80. l. 6. L. opponebatur. ibid. l. 21. L. illegitima nihil, nisi legitime. p. 85. l. 30. L. illi omnia. p. 86. l. 19. dele facta. p. 87. l. 9. & 10. L. obstante. p. 88. l. 6. L. improbatæ. ib. l. 13. L. præludiis. In lit. N. incipit error in paginarum numeris: debuit enim sequi 89. & ponitur 59. qui error per omnes paginas sequentes continuatur. Hoc ipsum nos urget, ut dehinc & literam plagulae adiciamus. lit. O. 2. p. 60. l. 11. L. Alberto II. ibid. l. 23. L. noluerat. ib. l. 29. L. Episcopus. lit. P. p. 76. l. 30. L. vexillaris lit. P. p. 77. l. 15. L. Imperatorum. lit. P. p. 79. l. 11. L. ostenduntq; ib. l. 14. L. Et ex. lit. P. p. 81. l. 10. L. Atrocita. lit. P. p. 82. l. 7. L. Hoc dicere. ibid. l. 26. L. non ignara. lit. Q. p. 85. l. 22. L. præcedenti in thesi quidem. lit. Q. p. 87. l. 26. L. factio Antecessoris. lit. Q. p. 90. l. ult. L. & incorporalium. p. 91. l. 8. L. tit. 2. p. 92. l. 2. del. & p. 95. l. 13. L. Evangelistæ. p. 96. l. 3. L. sunt, quas. p. 98. l. 17. L. Anno 1589. p. 99. l. 16. L. expediri. ib. l. 26. L. Auxiliatorem. p. 105. l. 2. L. iniquè. p. 106. l. 11. L. sibi. p. 109. l. 15. L. VVestphalix. ib. l. 18. L. in feudis. ib. l. 33. L. Ad hunc. p. 115. l. 1. L. sacro. ib. l. 4. L. ad vexillare.*





Pon X<sup>6</sup> 1250

ULB Halle 3  
003 947 424




W17

7C







So im  
auffgestar  
sie wied  
bu

Mal  
STO m  
pronuncian

B

Inhalt  
ehre / so  
ediens

CHRI-  
STVM

XV.

